*Quanto mais temos, mais deſejamos.*
Creverunt & opes, & opum furioſa libido.
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.
*Quanto mais rogam ao roim, peor.*
Pravo animo qui ſunt, deteriores fiunt rogati.
*Quanto mais vivemos, tanto mais ſabemos.*
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum.
*Quam longe dos olhos, tam longe do coraçam.*
Ex aſpectu naſcitur amor; abſentia amicos perdit.
*Que horas, pera colher amoras.* Sero veniſti.
*Queimou as paſtanas na obra.* Lucernam olet.
*Queijo de ovelhas, leite de cabras, manteiga de vaccas.*
Caſeum ovis, capra lac mihi dent, & vacca butyrum.
*Quem a boa arvore ſe chega, boa ſombra o cobre.*
Carpitur in patula dulciſſimus arbore ſomnus;
Laſſaque frondoſa membra foventur humo.
Non male ſedet, qui bonis adhæret.
*Quem ama a Beltram, ama a ſeu irmam.* Qui me amat, meos diligit.
Cui dominus gratus, canis huic eſt ejus amicus.
Quiſquis amat dominum, diligit & catulum. (lambit.
*Quem ama ao feio, formoſo lhe parece.* Simia etiam ſuos catulos
*Quem anda na guerra, dá, & leva.* Cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis. *Vel* Mars communis. (ſolvit.
*Quẽ ao diante nam olha, atraz torna.* Qui nimiũ properat, ſerius ab-
*Quẽ arreda azo, arreda peccado.* Vitabis crimen, vitata criminis anſa.
*Quem as bragas nam ha em douto, as coſturas lhe fazem nojo.*
A teneris aſſueſcere multum eſt.
*Quem as couſas muito apura, nam vive vida ſegura.*
Qui nimis inquirit, multa pericla ſubit.
*Quem a tolo conſelho pede, mais tolo he, que elle.*
Qui petit à ſtulto ſenſum, nihil eſt ſtultius illo.
*Quem a vacca Del-Rey come magra, gorda a paga.*
Debitor eſt Regis, duplicata numiſmata ſolvet.
Eſt qui macram Regis, vaccam ſolvit opimam.
*Quem azeite mede, as mãos unta.*
Allia quando terunt, retinent mortaria guſtum.
*Quem bem eſtá, & mal eſcolhe, por mal que lhe venha, naõ ſe anoje.*
Regula certa datur, qui bene ſtat, ne moveatur.
Qui felicem mutat ſtatum, ne ægre ferat fortunæ caſum.
*Quem bem tem, & mal eſcolhe, por mal que lhe venha, naõ ſe anoje.* Lydo non erat negotium. *Porque Creſſo Rey dos Lydos eſtando bem pacifico, eſcolheo guerra com Cyro Rey dos Perſas, do qual foi vencido.*
Maritimus cum ſis, ne velis fieri terreſtris. (tet.
*Quem bem vive, bem morre.* Qui vult rite mori, ne prave vivat, opor-
*Quem cabrites vende, & cabras nam tem, donde lhe vem?* Vide *Miguel, Miguel.*
*Quem calla, conſente.* Nil contradicens ſatis aſſentire videtur.
Qui obticeſcit, vel pudet, vel quid reſpondeat, non habet.
*Quem calla, eſcuſa baralha.* Omnia qui reticet, munera pacis habet.
*Quem calla, vence.* Silentii tutum præmium.
*Quem canta, ſeus males eſpanta.* Lesbius cantor. *Porque Terpandro da Ilha de Lesbos com ſua muſica lançava fóra os males, & com ella apazigou os Lacedemonios.*
*Quem comeo a carne, roa o oſſo. Ou quem comeo a papa, reze o Pater noſter.* Fæcem bibat, qui vinum bibit.
*Quem com o demo cava a vinha, com o demo a vindima.*
Dæmonium vendit, qui dæmonium prius emit.
*Quem compra, & mente, na bolſa o ſente.*
Mendacem emptorem crumena arguit.
*Quem dá, & toma, naſcelhe huma corcova.*
Qui datum repetit, fit gibboſus.
*Quem dá logo, duas vezes dá.* Bis dat, qui cito dat.
*Quem dá o paõ ſem caſtigo, nam vai ao Paraiſo.* Vide *A teu filho paõ.*
*Quem dá o ſeu, antes de morrer, apparelheſe a bem ſofrer.*
Si tua des cunctis omnia, multa feres.
*Quem deſpreſa faltas pequenas, cairá nas grandes.* (parit.
Maiora perdet, parva ni ſervaverit. *Itẽ* Minutula pluvia imbrẽ
*Quem dinheiro tiver, fará, o que quizer.*
Ille agit ad votũ, cui multum ſuppetit æris.
Quiſquis habet nummos, rerũ ſibi cõparat uſus.
Pecuniæ obediunt omnia.
*Quem dita tem, o vento lhe apanha a lenha.* Vide *A quẽ Deos quer bem.*

*Quem diz, o que quer, ouve, o quenam quer.*
Qui, quæ vult, dicit, quæ non vult, audit.
*Quem de mais alto nada, mais depreſſa ſe affoga.*
In pelago nantes altior unda vorat.
*Quem em pedra duas vezes tropeça, nam he muito quebrar a cabeça.*
Quem ſæpe caſus tranſit, aliquando invenit.
*Quem empreſta, nam cobra; & ſe cobra, nam todo; ſe todo, nam tal, & ſe tal, inimigo mortal.* Vide, *Se queres ter inimigo.*
*Quem engana ao ladram, cem dias ganha de perdam.*
Callidus eſt latro, qui tollit furta latroni.
*Quem enſinou a Pedro fallar Galego?*
Quis docuit picas noſtra verba conari?
*Quem eſcuta, de ſi ouve.* Experta eſt linguas auris iniqua malas.
*Quem faz a caſa na praça, huns dizem que he alta, outros que he baxa.*
Momo non ſatisfacit, qui in propatulo eſt.
*Porque Momo foi hum Deos antigo, que de tudo deſdenhava.*
*Quem faz bem ao ingrato, compra caro, & vende barato.*
Benefacta male locata malefacta arbitror.
*Quem faz pellas couſas, haas.*
Qui bene perquirunt, promptius inveniunt.
*Quem fizer o mal, que o pague.*
Quiſquis iniqua facit, patiatur iniqua neceſſe eſt.
*Quem gabarà a noiva?* Domeſticus teſtis.
*He, o que louva a ſi, & couſas proprias.*
*Quem gaſta mais, do que tem, moſtra que ſiſo nam tem.*
Deſipit ille nimis, nec habet moderamina mentis,
Qui plus conſumit, quam ſua terra tulit.
*Quem guarda, acha.* Qui dum ſaturatus aliquid aſſervat, inops paupertati ſuccurret. *Vel* Piſcis repoſitus.
*Quem he mao na ſua Villa, peor ſerà em Sevilha.*
Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
*Quem he menſageiro, nam merece pancadas.*
Legatus non cæditur, nec violatur.
*Quem he teu inimigo? O official de teu officio.*
Figulus figulum odit. *Item* Faber fabro invidet.
*Quem inimigo poupa, às ſuas mãos morre.*
Illius occumbes dextra, cui dextra pepercit.
*Quem lavra, & cria, ouro fia.*
Quiſquis alit pecus, & terram proſcindit aratro,
Deducit locuples aurea fila colo.
*Quem ler iſto, ha de adivinhar.* Præter Sibyllam leget nemo.
*Porque as Sibyllas foram profetiſas.*
*Quem longe vai caſar, ou vai enganado, ou vai enganar.*
Nubere vis apte? Vicino nube marito.
*Quem mais parvo, mais confiado.* Inſcitia confidentiam parit.
*Quem mais quer, que bem, à mal vem.*
Bono non contentus in malum decidit.
*Quem mais mette na barca, mais ſacca.* Ut ſementẽ feceris, ita metes.
Qui plura intulerit lembo, plura auferet inde.
*Quem mal começa, mal acaba.* Mali principii malus exitus.
*Quem mal coſpe, duas vezes ſe alimpa.*
Bis tergendus erit, qui male ſputa jacit.
*Quem mal faz, por mal eſpere.* Vide, *Bem fazer.*
*Quem mal vive, mal acaba.*
Poſcunt infamem turpiſſima crimina finem.
*Quem mais tem, mais deſeja.*
Creſcit amor numi, quantum ipſa pecunia creſcit.
*Quem màs manhas ha, tarde, ou nunca as perderà.*
Cancri nunquam recte ingrediuntur. *Item*
Lupus pilum mutat, ſed non mentem.
*Quem matta alveloa, ſabe mais que ella.* Pulchre fallit vulpem. id eſt, *muito faz, quem engana a raposa.*
Quicumque occidit frigilam, plus ſapit illa.
*Quem me a mim quer bem, dizme do que ſabe, & dame do que tem.*
Vulgus amicitias utilitate probat.
Amicorum omnia ſunt communia.
*Quem mente, arrede teſtemunhas.* Se moveat arbitros mendax.
*Quem mente, nam vende boa gente.* Non fallit bonos mendax.
*Quem mette a Judas com as almas dos pobres?* Vide *Quem te mette.*
*Quem muitas vezes vai à cadea, he ſinal de forca.*
Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando invenit.
*Quem muito abarca, pouco abraça.*
Deficit ambobus, qui vult ſervire duobus.
Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.
Plurima conantes prendere, pauca ferunt.
*Quem muito ao fogo ſe chega, queimaſe.*
Qui ſua membra cremat, nimis ignibus ille propinquat.
*Quem muito falla, & pouco entende, por rorim ſe vende.*
Se produnt ſtulti, non intellecta loquentes.
*Quem muito pede, muito fede.*
Importunus erit, crebro quicumque rogavit.

*Quem muito promette, pouco dà.* Multa fidem promiſſa levant.
*Quem muito tem, mais deſeja.* Creſcentem ſequitur cura pecuniã; Maiorumque fames.
*Quem nam apparece, eſquece.* Abſens hæres non erit.
*Quem nam buſca a Deos na vida, he deixado de Deos na morte.*
Qui ſpernit legem vita durante ſupernam,
Spernitur à ſummo, morte furente, Deo.
*Quem nam der das ſuas peras, nam eſpere das alheas.* Vide *Por dar dam.*
*Quem nam falla, nam o ouve Deos.* Amyclas perdidit ſilentium.
*Porque os deſta terra fizeram ley, que ninguem fallaſſe em os inimigos virẽ & aſſim nam fallando, vindo elles, foi a cidade deſtruida.*
*Quem nam pode repouſar, nam pode muito durar.*
Quod caret alterna requie, durabile non eſt.
*Quem nam pode andar a cavallo, ande à pè* Aulœdus ſit, qui citharædus eſſe non poteſt. *Vel* Bovem ſi nequeas, aſinum agas.
*Quem nam quer trabalho, nam quer ganho.*
Molam qui vitat, farinam vitat.
*Quem nam ſabe, pergunte.* Viam qui neſcit ad mare, fluviũm ſequatur. *Porque o rio o encaminharà.*
*Quem nam tem farinha, eſcuſa peneira.*
Qui caret aſino, clitellam ne quærat.
*Quem nam tem conſelho, perde o ſeu, & nam ganha o alheo.*
Perdit, non quærit Rex ſine conſilio.
*Quem nam tem cabeça, nam ha miſter carapuça.*
Carenti capite non opus eſt pileo.
*Quem nam tem pam alvo, coma doralo.* Maza poſt panem bona.
*Porque maza era comer ſomenos, & ſupria ao pam.*
*Vel* Tarichus boni conſulitur, ubi deſunt carnes. *Tarichus he pexe ſalgado.*
*Quem nam tem, que faça, merque huma pata: tornea a vender, terà que fazer.* Viro Lydo non erat negotium, at ipſe foras paravit. *Porque os de Lydia, nam ſofrendo eſtar ocioſos, quando nam tinham negocio, ſaiam fora a buſcallo.*
*Quem quer mais, que bem, à mal vem.*
Reperto, quod eſt optimum, qui quærit aliud, peius invenit.
*Quem tolo vai a Santarem, tolo vem.*
Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.
*Quem quizer conhecer o roim, deilhe officio.*
Magiſtratus vilem virum arguit.
*Quem nam vio Lisboa, nam vio couſa boa.*
Nil pulchrum vidit, qui urbem non vidit Ulyſſis.
*Quem nam tem ſogra, nem cunhada, he bem caſada.* Vide *Aquella he.*
*Quem nam tem vergonha, nam tem honra.*
Dona verecundi qui non habet ulla pudoris,
Nullas prorſus iners ſumet honoris opes.
*Quem nam tem vergonha, todo o mundo he ſeu.*
Cui pudor non eſt, orbi dominatur.
*Quem nam trabalha, nam come.*
Farinam fugit, quicumque molam vitat.
*Quem nega, & depois faz, quer paz.*
Ille eſt pacis amans, quicumque negata retractat.
*Quem o alheo veſte, na praça o deſpe.*
Qui furtim accipit, palam exolvit.
*Quem o demo toma huma vez, ſempre lhe fica hum geito.*
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu.
*Quem o feio ama, formoſo lhe parece.*
Qui diligit ranam, ranam putat eſſe Dianam. Simia etiam ſuos catulos lambit. Suum cuique pulchrum.
*Quem o fez, o pague.* Mali bibant improbitatis fæcem.
*Quem pede pera a candea, nunca ſe deita ſem cea.*
Pro luce exactum cœnam præſtabit olivum.
*Quem pode ſer livre, nam ſe cative.* Ou
*Quem pode ſer ſeu, em ſer de outrem he ſandeu.*
Alterius non ſit, qui ſuus eſſe poteſt.
*Quem porcos buſca, a cada mouta lhe grunhem.*
Qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.
*Quem porfia, matta caça.* Labor improbus omnia vincit.
*Quem primeiro anda, primeiro ganha.* Primus veniens primus molet.
Grana prior ſubdit, piſtrino qui prior adſtat.
*Quem, quando pode, nam quer, quando quer, nam pode.*
Nulli pro libito eſt unquam conceſſa poteſtas.
*Quem quer cavallo ſem tacha, ſem elle ſe acha.*
Nemo ſine crimine vivit.
Nihil eſt ab omni parte beatum.
*Quem quizer mal cear, à noite o và buſcar.*
Si ſero quæris, cœna erit ipſa brevis.
*Quem quizer bem cear, à ſua caſa o và buſcar.*
Patriæ fumus alieno igne luculentior.
*Quem quizer comer, depene.*
Qui vult nucleum, frangat nucem.

Qui lucerna egent, infundant oleum.
Ni purges, & molas, non comedes.
*Quem quizer ſer muito tempo velho, comece a ſer cedo.*
Mature fies ſenex, ſi diu velis eſſe ſenex.
*Quem rapa tachos, com razam ſe chama guloſo.*
Qui coquulum radit, dicetur jure guloſus.
*Quem ſabe da luta, luta; quem nam ſabe da luta, labuta.*
Oportet remum ducere, qui didicit.
*Quem ſe eſtrea, bem lhe venha.*
Omnia felici cedant feliciter, opto.
*Quem ſempre mente, vergonha nam ſente.*
Semper mendax, impudens.
*Quem ſe nam aventurou, nam perdeo, nem ganhou.*
Nil lucri cepit, qui nulla pericla ſubivit.
*Quem ſe nam governou a ſi, como quer governar os outros.*
Qui ſe non habet, Samum habere poſtulat.
*Quem ſe queima, alhos come.* Qui crimen urit, ipſe ſe arguit.
*Quem ſerve ao cõmum, ſerve a nenhum.*
Nulli, qui populo, præſtitit obſequium.
*Quem ſó come o ſeu gallo, ſó ſella o ſeu cavallo.*
Qui ſolus comedit, ſolus ſua pondera geſtat.
*Quem ſó ſe aconſelha, ſó ſe depena.*
Qui ſe conſuluit, ſolus ſecum ipſe dolebit.
*Quem tarda, arrecada.* Qui manet diu, vacuus non redit.
*Quem te conhece, te compre.* Novi Simonem, & Simon novit me. *Dizia Nicom de Simam, & ambos eram grandes velhacos.* Ou Tollat te, qui te non novit.
*Quem te faz feſta, nam ſoendo fazer, ou te quer enganar, ou te ha miſter.* Præter morem applaudenti credendum non eſt.
*Quem tem bocca, vai a Roma.* Ignotum facturus iter, ſi lingua ſuperſit, Solus ad Auroræ pergere regna poteſt.
*Quem tem bom ninho, nam mude jazigo.* Teſtudo intra tegumen tuta. *Vide Quem bem tem.*
*Quem tem capa, logo eſcapa.*
Quiſquis habet numos, ſecura naviget aura.
*Quem teme, algo deve.*
Crimina quiſquis agit, tremebundo pectore vivit.
Conſcientia ſceleris timorem incutit.
*Quem te mete Joam topete, com a carapuça de gurumete.*
Ne pugnes de alieno. Ne ſutor ultra crepidam.
*Quem tem bem começado, tem meio acabado.*
Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.
*Quem tem fome, cardos come.*
Jejunus ſtomachus raro vulgaria temnit.
*Quem tem inimigos, nam dorme. Ou*
*Quem dorme, dormelhe a fazenda.* In periculo non eſt dormiendũ. *Vel*
Non capiunt ullos hoſtilia pectora ſomnos.
*Quem tem officio, nam morre de fome.* Ars portus miſeriæ.
Artem quævis alit terra, *id eſt*, regio.
*Quem tempo tem, & tempo eſpera, tempo he, que o demo lhe leva.*
Dum loquitur, fugit invida ætas.
*Quem tem pouco, nam pode dar muito.*
Parva volucris non ova magna parit.
*Quem tem ſangue, faz chouriços.*
Semper habet lanam, cui copia larga bidentum.
Pipere abundans etiam oleribus immiſcet.
*Quem tem telhado de vidro, nam tire ao do ſeu viſinho.*
Deſinant maledicere, malefacta ne noſcant ſua. *Vel*
Loripedem rectus derideat.
*Quem tem vergonha, cae de magro.* Verecundia inutilis egenti.
Apud menſam verecundari neminem decet.
*Quem te nam roga, nam lhe vaz á boda.*
Alterius feſtum ſolum invitatus adibis.
*Quem todo o quer, todo o perde.* Qui duos ſectatur lepores, neutrũ capiet. Camelus deſiderans cornua, etiam aures perdidit. *Allude á fabula do camelo, que pedindo a Jupiter cornos, elle lhe tirou as orelhas.*
*Quem torto naſce, tarde ſe indireita.*
Lignum tortum haud unquam rectum.
Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.
*Quem troca odre por odre, algum delles ha de ſer podre.*
Diomedis, & Glauci permutatio. *Foi troca deſigual: porque em Troia Diomedes deu a Glauco ſuas armas de cobre por humas de ouro.*
*quem vem, nam tarda.* Illi parva mora eſt, qui quavis advenit hora.
*Quem veſte roim panno, veſteſe duas vezes no anno.*
Bis veſtiri anno ſi vis, vilem indue pannum.
*Quem vier de traz, feche a porta.* Qui poſtremus abit, redeuntibus oſtia claudit. Me mortuo terra miſceatur incendio. *Como ſe diſſera: Depois de eu morrer, ſucceda, o que ſucceder.*
*Quer cegar a gente.* Oculis effundit pulverem.
*Quereis cobrir o ceo com huma jueira.* Elephantem ſub alis celas.
*Quereis, que vos mettam a papa na bocca.*
Inter lapides pugnans nec lapidem tollis.
*Queres, que te ſiga o cão? Dalhe pão.* Vide *Por dinero.*

## R

*Rapoſo, que tarda, caça aguarda.* Vulpes ad venandum mortua.
*Raſam que leva a boia ao fundo* Achilleum argumentum.
*Rattinho fidalgo.* Fraterculus gigantum.
*Ratto, que nam ſabe mais, que hum buraco, depreſſa o toma o gatto.*
Mus capitur citius, niſi plura foramina quærit.
*Recoveiro, que leva carga, com mentir a deſembarga.*
Jumenta expediet ſua, dum mentitur agazo.
*Rego aberto meia geira he.* Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.
*Remar contra a agua.* Invitos boves plauſtro inducere.
*Remar per ſi.* Sine cortice natare.
*Remenda teu panno, chegartha ao anno.*
Si veſtem repares, longum durabit in annum.
*Renovar feridas velhas.* Refricare cicatricem. Tangere vulnus.
*Renego de contas com parentes, & de dividas com auſentes.*
Nolo propinquorum rationes: debita nolo
Tractare abſentum. ſic erit alma quies.
*Reprender velho, & eſpulgar cão duas doudices ſam.*
Mortuo mederi, ſenem monere.
*Reſponder pellas meſmas conſoantes.* Eadem per eadem.
*Rir ás paredes*, id eſt, *fóra de tempo.* Megaricus Riſus.
*Porque os Megarenſes eram notados de rir parvoamente.* Aiacis riſus.
*Qual foi o deſte capitam endoudecendo.*
*Roim ſeja, quem ficar.* Occupet extremum ſcabies.
*Roim ſeja, o que por roim ſe tem.* Suum cuique pulchrum.
*Roma nam ſe fez num dia.* Non fuit in ſolo Roma peracta die.
*Roupa de Franceſes.* Bona Porſenæ. *Porque os bens deſte Rey tomados pellos Romanos fóram eſperdiçados.*
*Rou, rou, façaſe, o que El-Rei mandou.*
Quidquid agas, ſemper Regis mandata capeſſe.
*Ruivo de mao pello, mette o demo no capello.*
Pellem præ te fers, etſi non dicas.

## S

*Sabe as pancadas ao vinte.* Homo emunctæ naris eſt.
*Sabe, como ſette Peliteiros*, id eſt, *como hum dos ſette Sabios de Grecia.*
Sapientum octavus. *Vel* Homo Thales.
*Porque eſte foi hum dos ſette Sabios.*
*Sabemno cans, & gattos.*
Lippis, & tonſoribus notum.
*Sabio no nome.* Barba tenus ſapiens.
*Sae á acha a racha.* Fortes creantur fortibus.
*Sahio de hum atoleiro, & metteoſe noutro.*
Incidit in Scyllam, cupiens vitare Carybdim.
Incidit inflammas, cupiens vitare favillas.
*Sahio do lodo, & cahio no arreyo.* O *meſmo.*
*Sair das conchas.* Pennas nido maiores extendere.
*Salamanca a huns ſara, a outros manca.*
Si quoſdam ſanat, quoſdam Salamanca trucidat.
*Salſa de Sam Bernardo.* Optimum condimentum fames.
*Sangar em ſaude.* Antidotum ante venenum.
*Sanha de villam, perda de ſu caſa.*
Ruſticus iratus ſibi affert incommoda.
*Sam, como hum pero.* Piſce ſanior.
*Porque os pexes nam tem doenças.*
*Sam grandes camaradas.* Eodem pregnati ſunt ovo.
*Sam Miguel das uvas, tarde vens, & pouco duras.*
Paſcha diu optatum tranſigit una dies.
*Sam verdes.* Sic ait, & vulpes, cum prendere mora nequiret,
Non ſunt hæc ſtomacho dulcia mora meo.
*Se aſſim corres, como bebes, vamos ás lebres.*
Feſtinum poteris leporem comprendere curſu,
Si ſicut potas, conficis acer iter.
*Se bem me quer Joam, ſuas obras o diram.* Vide *Obras ſaõ amores.*
*Se cair o Ceo, mattará as cotovias.* Quid, ſi Cœlum ruat?
*Secretos queres ſaber, buſcaos no peſar, & no praſer.*
In vino veritas. *Item*
Quid non ebrietas deſignat? Operta recludit.
*Segue a formiga, viverás com fadiga.* I piger ad formicam.
*Segue a raſam, poſtoque a huns agrada, a outros nam.*
Diligito, cunctis non applaudentibus, æquum.
*Seguir o bemparado.* Ad felicem inflectere parietem.
*Segura eſtá a mercadoria.* Extra telorum ictum. *Vel*
In tuto res eſt.
*Semea, & cria, terás alegria.* Vide *Quem lavra, & cria.*
*Sempre a verdade ſabio vencedora.* Semper veritatis pondus erupit.

*Semper*

*Sempre deves de medir tus negocios por los fines, peraque mejor atines.* Finem vitæ ſpecta. *Vel*
Res ab exitu ſpectanda, & dirigenda eſt. *Vel*
Exitus acta probat.
*Sempre o fogo faz gazalho.*
Prodeſt ipſe rogus tempus in omne bonus.
*Sempre o rabo he mao de esfolar.*
Omni devorato bove, in cauda defecit.
Detrahitur cauda nuſquam bene pellis ab ima.
*Sempre promette em duvida, pois no dar ninguem te ajuda.*
Perplexus ſponde, ſolus nam ſolvere debes.
*Se nam bebo na taverna, folgome nella.* Leontini ſemper circa pocula. *Tomouſe deſtes homens, que nunca deixavam beberetes.*
*Se no valle neva, que farà na ſerra.*
Si ningit in valle, quid fiet in colle.
*Se queres aprender a orar, entra no mar.*
Qui vult ſcire preces, æquoris intret aquas.
*Se queres bem caſar, caſa com teu igual.*
Si vis apte nubere, nube pari.
*Se queres bem conſelho, pedeo ao homem velho.*
Mens ratio, & conſilium in ſenibus eſt.
*Se queres cedo engordar, come com fome, & bebe devagar.*
Si potes lente, capiaſque ſan elicus eſcam
Optatam, exiguo tempore pinguis eris.
*Se queres enfermar, cea, & vaite deitar.*
Poſt cænam dormis? Vis ægrotare libenter.
*Se queres ſaber, quem he o villam, metelhe a vara namam.*
Magiſtratus virum indicant.
*Se queres ſer bom juiz, ouve o que cada hum diz.*
Judex ille ſapit, qui tarde cenſet, & audit.
*Se queres ſer pobre ſem o ſentir, mette obreiro, & deitate a dormir.*
Vide *O cavallo engorda.*
*Se queres ſer rico, calça de vacca, & veſte de ſino.*
Diteſcunt facile, qui duraturis veſtibus, & calceis utuntur.
*Se queres ter boa fama, nam te tome o ſol na cama.*
Ut famam acquiras, feſtinus deſere lectum.
*Se queres ter inimigo, empreſtalhe o teu, & pidelho.*
Mutua qui dederat, repetens ſibi comparat hoſtem.
*Ser biſonho no officio.* In alieno foro litigare.
*Ser perviſto.* In occipitio oculos gerere.
*Se te da o pobre, he peraque mais te tome.*
Dat tibi, ut accipiat duplicata numiſmata, egenus,
*Se te fizeres mel, comertecham as moſcas.*
Quiſquis ovem ſimulat, hunc lupus ore vorat.
*Si la pildora bien ſupiera, no la doraran por de fuera.*
Non quia ſunt ſapidæ, pilulas mihi contegis auro.
*Si mucho las pintas, y regalas, de buenas hijas haràs malas.*
Neſcit habere bonas patris indulgentia natas.
*Sim ſim, nam nam.* Ficus ficus, ligonem ligonem vocat. *Iſto ſe diz dos que fallam verdade ſem palavras enfeitadas*
*Só aos pobres ſe faz juſtiça, pera os caſtigar.*
Legum pœnæ in humiles tantum.
*Sobre mim fique.* In me iſta cudetur faba.
*Sobre peras vinho bebas.*
Poſt pyra poſce merum, vel mortis ad oſtia clarum.
*Sobre voſſa pelle ſe trata.* De tuo capite aguntur comitia.
*Sofra, quem penas tem, que traz tempo tempo vem.*
Meſſis tempus boves expectant.
*Como ſe aliviaſſem o trabalho de lavrar com a eſperança de debulhar.*
Vide *Nem ſempre o diabo.*
*Sois bocca de praga* Archilochum teris. *Porque eſte homem foy muito praguento.*
*Sois feito as aveſſas.* Nocte lucidus, interdiu inutilis es.
*Sois hum deſmancha praſeres.* Serenitati nubem inducis.
*Sol na eyra, chuva no nabal.*
Area ſolem amat, revireſcunt imbre napinæ.
*Sonhava o cego que via, ſonhava o que queria.*
Canis panem ſomniat. *Vel*
Tellus amat imbrem. *Vel*
Quod quiſque ſperat, facile credit.
*Sopa de mel, nam ſe fez pera bocca de aſno.*
Sus tubam audivit.
Non movet ignavum ſymphonia dulcis aſellum.
*Sua cara defende ſua pouſada.* Fions hominem præfert. *Vel*
Æthiopem ex vultu judico.

# T

*Taes com taes.* Balbus balbum intelligit.
*Taes alfaces pera taes beiços.*
Similes habent labra lactucas. *Iſto diſſe a Craſſo orador hum companheiro, vendo a hum aſno comer cardos.*
*Tal vai de guerra.* Mars communis.
*Tambem a formiga tem catarro,* Ou
*Tambem Joam Taz tem beſta.*
Etiam formicæ ſua bilis ineſt. *Item*
Etiam capillus ſuam facit umbram.
Etiam corchorus inter olera.
*Tambem tenho duas maos.* Ou
*Tambem noſſa eſpada corta.*
Totidem nobis animæque, manuſque.
Et meum telum cuſpidem habet acuminatam.
*Tam bom he Pedro, como ſeu amo.* Ou
*Tal he o ſervo, como o ſenhor.*
Componitur ſervus heri ad exemplum. *Vel*
Dignum patella operculum.
*Tam mao he o ſobejo, como o minguado.* Ne quid nimis.
*Tantas vezes vai o cantarinho a fonte, atè que quebra.*
Quem ſæpe caſus tranſit, aliquando invenit.
Cantharus aſſidue geſtatus perdidit anſam.
Frangitur aſſidua fictilis urna via.
*Tanto dá a agua na pedra, atè que quebra.*
Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo,
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.
Quid magis eſt durum ſaxo? Quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.
*Tanto ſe me dá diſſo, como de chiar hum carro*
Minus de iſtis laboro, quam de ranis paluſtribus.
*Tanto morre o Papa, como o que nam tem capa.*
Pallida mors æquo pulsat pede
Pauperum tabernas, regumque turres.
*Tanto pica a pega na raiz do troviſco, que quebra o bico.*
Pica nimis pungendo ſolet perſtringere roſtrum.
*Tantos morrem dos cordeiros, como dos carneiros.*
Mixta ſenum, ac juvenum denſantur funera.
Mors omni ætati communis eſt.
*Tanto tienes, tanto vales.*
Omnibus nobis, ut res dant ſeſe, ita magni, vel humiles ſumus.
*Taparamlhe a bocca com dinheiro.* Bovem habet in lingua.
*Porque a moeda dos Romanos antigos tinha hum boy pintado.*
*Vel* Argento anginam patitur. *Como ſe lhe cauſara a prata eſquinencia, pera nam fallar.*
*Taramella, ou gralha no fallar.* Architæ crepitaculum. *Porque eſte homem inventou o pandeiro de ſoalhas pera os meninos.*
*Tarde piache.* Sero ſapiunt Phryges. *Porque os Troianos cahiram tarde na conta, & aſſim foi a ſua cidade queimada.*
*Telha de Igreja ſempre goteja.*
Inſtillat clero juges Eccleſia nummos.
*Tem de ſeu, o que lhe baſta; ou tem, o que ha miſter.*
Domi habet, domi naſcitur.
*Teme, quem deve, & quem nam deve, nam teme.*
Fures clamorem timent.
*Tem hum poço de ouro.* Argenti puteus. Mare aureum.
*Item.* Habet laurioticas noctuas. *Porque laurios he mina de ouro, & os Athenienſes nas moedas eſculpiam curujas.*
*Item* Midæ gaza. Tantali talenta.
*Tem medo de hum ouçam.* Umbram ſuam metuit. *Vel*
Muſcas metuit præter volantes.
*Tem olhos de toupeira.* Lolio victitat.
*Porque o joyo faz mal á viſta.*
*Tempo de guerra, mentiras por mar, & por terra.*
Multa in bellis inania.
*Tempo, & hora nam ſe atta com ſoga.*
Fugit irreparabile tempus.
*Tem ſangue no olho.* Ducitur gloria.
*Tem varinha de condam.* Epheſias novit literas.
*Porque os povos Efeſios tinham certas letras magicas, com que alcançavam tudo, o que queriam.*
*Tem unha.* Fele rapacior.
*Tenholhe o pé no peſcoço.* In ore meo eſt.
*Tentar oredadeiro remedio.* Sacram anchoram ſolvere.
*Item* Movere talum à ſacra linea. *Tomouſe de hum jogo de dados, ou tabolas, que tinham ſinco linhas, & quando a do meyo chamada Sacra, ſe tocava, era o ultimo remedio.*
*Ter a Deos por hum pé.* Noctuam volantem capere.
*Porque a curuja, dedicada a Minerva, ſe voava, era ſinal de grandes felicidades.*
*Ter as mãos no ſeio,* id eſt, *de perguiça.*
Manum ſub pallio habere.
*Ter começado, he meyo caminho andado.*
Principium dimidium totius. *Vel*
Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.
*Ter coſtas quentes em alguem.* Alieno ferox præſidio.

*Ter de ſua mam.* In numerato habere. *Como dinheiro contado na bolsa.*
*Ter graça, ou ſer engraçado.* Leporem edere. *Porque diziam os antigos, que quem ſette dias comia lebre, ficava airoſo.*
*Ter palavras de mel, & coraçam de fel.*
Habere aurea verba, & cor ferreum.
*Tirar ſardinha, ou caſtanha com a mam do gatto.*
Alieno periculo lucrum capere.
*Tirar á cega lagarta.* Jaculari ſine ſcopo.
*Tirar com barro á parede, até que pegue.*
Si crebro jacias, aliud alias jeceris.
*Tirar da bocca do lobo.*
Lupo agnum eripere. Ex ore lupi prædam extorquere.
*Tirar forças da fraqueſa.* Aquam à pumice elicere. *Vel* Nudo veſtimenta detrahere.
*Tirar o boccado da bocca, & dallo a outrem.* Manſum ex ore dare.
*Tirte lá ganho, nam me dês perda.* Lucrū nolo æquale diſpendio.
Nil moror officium, quod me gravat.
*Todas as couſas tem ſeu tempo, & os nabos no Advento.*
Alia æſtate, alia hyeme. *Vel* Suo tempore pyræ carpuntur.
*Todo o homem poem a mam no cham de quando em quando.*
Nemo omnibus horis ſapit.
*Todo o bem acaba.* Mors optima rapit, deteriora relinquit.
*Todo o ſangue he vermelho.* Omnia idem pulvis.
*Todo o mundo quer juſtiça, mas nam em ſua caſa.*
Omnes melius ſibi eſſe malunt, quam alteri. *Vide A juſtiça.*
*Todo, o que aos vinte nam barba, aos trinta nam ſabe, aos quarenta nam tem, tarde barba, tarde ſabe, tarde tem.* Sera ſunt barba poſt vigeſimum, ſcientia poſt trigeſimum, divitiæ poſt quadrageſimum.
*Todos fallam por huma bocca.* Una voce, uno ore.
*Todos ao roim, & o roim a todos.*
Omnes in improbum tela torquent, ille retorquet.
*Todos os ameaçados comem pam.* Fulgor è pelvi. *Relampago da bacia, que nam faz mal, & ſe toma por ameaças vãas.*
*Todos os paſſatempos param em dor.*
Gaudia perpetuos pariunt mundana dolores.
*Todos querem ſaber, mas ninguem pagar.*
Scire volunt omnes, mercedem ſolvere nemo.
*Todos ſam da meſma eſtofa.* Eodem in ludo docti.
*Todos ſe chegam ao bem parado.* Cognati omnes felicium.
*Todos tem ſeu pé de pavam.*
Non eſt abſque ſuo fortis equus vitio.
*Toma a garça no ar.* Alter Argus.
*Tomai o panete. Tomai as de villa Diogo.* Maturate fugam.
*Tomai o tolle.* Foras Cares. Vide *Acabouſe a feſta.*
*Tomais ſeſta por balheſta.*
Ego loquor de alliis, tu reſpondes de cepis.
*Tomar as de villa Diogo.*
Velis, remiſque præcipitem celerare fugam.
*Tomar experiencia em cabeça albea.*
Exitio alterius ſapiens emendat ſuum.
*Tomar o Ceo com as mãos.* Mare Cœlo miſcere.
*Tomar o freo nos dentes.* Mordere frænum.
*Tomar o panete.* Talaria induere.
*Porque Talaria eram os çapatos com azas de Mercurio.*
*Tornar a engatinhar.* Redire ad nuces.
*Tornar pera traz, como caranguejo.* Nepam imitari.
Ab equis ad aſinos tranſire. De toga ad pallium. *item.*
Mandrabuli more ſuccedere. *Porque eſte homem em memoria de hum theſouro achado, no primeiro anno offereceo a Venus hũa ovelha de ouro, no ſegundo huma de prata, no terceiro huma de cobre.*
*Touro, que me eſcornou, em bom lugar me lançou.*
Vide *Ha males, que vem.*
*Trabalhar com todo o corpo.* Manibus, pedibuſque.
Omnibus nervis: velis, equiſque. Remis, veliſque.
Navibus, atque quadrigis.
*Trabalhar de balde.* Æthiopem dealbare. Littus arare.
In arena ſcribere. Oleum, & operam perdere.
*Trabalho he caminhar a cavallo, que a pé he morte.*
Eſt equitare grave: eſt mors gravis ire pedes.
*Tratar ſó de ſi.* Intus canere.
*Tres couſas ao homem fazem medrar, ſciencia, mar, & caſa real.*
Augeſces ſophia, pelagoque, & Principis aula.
*Tres couſas deſtroem ao homem, muito fallar, & pouco ſaber, muito gaſtar, & pouco ter, muito preſumir, & pouco valer.*
Hæc tria me perdunt ſermone ſcientia nulla;
Sumptus opes ſuperans, vincens præſumptus honorem.
*Trinta tem Novembro, Abril, Junho, & Setembro, vinte, & oito tem hum, & os outros trinta, & hum.*
Triginta Aprilis, Junius, Septemque, Novemque.
Unum plus alii, viginti Februs octo.
*Triſte da caſa, onde a gallinha canta, & o gallo calla.*
Vide *mal vai á caſa.*
*Tudo acaba, ſenam amar a Deos.*
Omnia prætereunt, præter amare Deum.
*Tudo ha no mundo.* Omnia eveniunt, ut ſunt humana.
*Tudo enfada, ſó a variedade recrea.*
Nil jucundum, niſi quod commendat varietas.
Jucunda viciſſitudo rerum.
*Tudo pode o dinheiro.* Teſtudines vincunt ſapientiam, & virtutem.
*Porque o dinheiro ſe chamava antigamente cáſtudo: donde parece nós dêmos nome ao toſtam: o que naſceo da moeda dos Peloponneſios, em que pintavam hum cágado.*
*Tudo poem ſobre ſi*, id eſt, *nam tem mais, que o que veſte.*
Omnem facultatem indutus eſt.
*Tudo ſe diz, & tudo ſe ſabe.* Fama prodit omnia.
*Tudo ſe quer em meio.* Omnia ad mediocritatem revocanda ſunt.
*Tudo tem ſeu tempo, & a arraia no Advento.*
Eſt rerum omnium viciſſitudo.
*Tudo vos ſuccede a pedir por bocca*
Capream cœleſtem orientem aſpexiſti.
*Eſta felicidade cauſava a cabra Amalthea á quem a via naſcendo: por ter criado a Jupiter.* (monitas.
*Tu, que naõ podes, levame ás coſtas.* Qui tibi non ſapis, alteri viam
Te ipſum non alens canes alis.
Mus non ingrediens antrum, cucurbitam ferebat.
*Nam podendo entrar no buraco, levava á cabaça.*

# V

*Vai brincar com a maçãa do eſcaravelho.*
Mazam ſcarabæo pone.
*Vai buſcar pé de boi.* Junge vulpes. *Pella deſproporçam, que tem raposas com jugo, ou arado.*
*Vai cardar laa de cágados.* Ab aſino lanam quære.
*Vai coſer a fornada.* Obdormi crapulam.
*Vai de mal em peor.* Vide *Torna pera traz.*
*Vai muito de huma couſa a outra.*
Muli aſinis quantum præſtant.
*Vaiſe o fumo pera o mais formoſo.*
Fumus pulchriorem perſequitur.
*Vai rir á feira.* Megaricum riſum exhibe. Vide *Rir ás paredes.*
*Vai ſalgar queijos.* Mulge hircos.
*Vaiſe a lingua á verdade.* Lingua lapſa verum dicit.
*Vaiſe como ſeſto roto.* Danaidum dolium. *Porque as filhas de Danao foram no inferno condenadas a deitar agua em pipas ſem fundo.*
*Vaiſe o tempo, como o vento.*
Tempus it, & tamquam mobilis aura volat.
*Vaite a forca.* Abi in malam crucem. In infelicem arborem.
In directum abi. *Porque os antigos chamavam directos aos enforcados, como levantados ao ſereno.* (gua impetit.
*Valente do dente.* Domi pugnans more galli. Lingua bellat. Lin-
*Val, quem tem.* Nihil ſatis eſt: quia tanti, quanti habeas, ſis.
*Varinha de quondaõ.* Virga divina. *Porque a antiguidade a varias varas attribuio divindades.* Ou Gygis annulus. *Porque Gyges tinha diverſos anneis pera diverſas felicidades, hum pera acquirir riqueſas, outro pera ganhar amigos, outro pera vencer adverſidades.*
*Vá ſobre mim.* In me hæc cudetur faba. *Porque era coſtume, quando os coſinheiros coſiam mal as favas, piſaremlhas na cabeça.*
*Vaſo mao nunca quebra.* Vas malum non frangitur.
*Vedes os touros de palanque.*
E ſublimi derides. E turre Achivos deſpectas.
*Velho centenario.* Acheronticus ſenex. *Por eſtar ja, pera morrer, & aſſim perto de Acheronte rio do inferno.*
*Velho, como a ſerpe.* Antiquior Codro.
*Velho gaiteiro.* Anus bacchatur. *Porque as feſtas de Baccho ſó ſe faziam por gente de menor idade.*
*Velho menino.* Edentulus ſeptennis.
*Vello com o olho, comello com a teſta.* Pœnam Tantali pati.
*Porque Tantalo Rey de Phrygia era attormentado com ſede no inferno, vendo a agua, a que nam podia chegar.*
*Vé mais, que hum lynce.* Lynce perſpicacior.
*Vem a ventura, a quem a procura.* Vide *Quem faz pellas couſas.*
*Vemme o mal, que me ſoe vir, que depois de farto me ponho a dormir.*
Vide *Barriga farta.*
*Vencer a lingua he mais, que vencer arraiaes.*
Linguam frænare plus eſt, quam caſtra domare.
*Vencer ás mãos lavadas.* Vincere ſine ſanguine.
*Vencerſe a ſi he mais, que vencer o mundo.*
Vincere cor proprium plus eſt, quam vincere mundum.
*Vende a deſpoſado, & compra a enforcado.*
Ducturo uxorem tua vende: & cautus ab illo,

Cui citus adſtringit guttura funis, eme.
*Vende em caſa, & compra na feira, ſe queres ſair de laſeira.*
Vende domi, eme in nundinis.
*Vende gatto por lebre.* palumbem pro columba. *Vel* Fumum pro fulgore dare.
*Vento, & ventura pouco dura.* Bona nemini hora eſt.
Ipſa dies quandoque parens, quandoque noverca.
*Ventura te dê Deos filho, que ſaber pouco te baſta.*
Fortuna extollet plus, quam ſapientia natos.
*Ver a eſtrella no meio dia.*
Longa fames illum fecerat aſtrologum.
*Ver os touros de palanque.* Tamquam de ſpecula.
*Verſas, que nam has dê comer, nam as queiras remecher.*
Quod tua non refert, percontari deſinas.
*Vezo ponhas, que nam tolhas.*
Naſcentis cura prohibere exordia moris.
*Vida he praſer, de quem nam tem ſaber.*
In nihil ſapiendo jucundiſſima vita. *Porque o tolo ſempre anda alegre, por nam conhecer as raſoens de pena.*
*Vieſte ao attar das feridas.* Poſt feſtum veniſti.
Pugna peracta veniſti.
*Vinho do meio, mel do fundo, azeite de riba.*
Vinum intra, ſubſidant mella, ſuperſtet olivum.
*Vinho velho, amigo velho, ouro velho.*
Annoſum vinum, ſocius vetus, & vetus aurum,
Hæc ſunt in cunctis trina probata locis.
*Vioſe o demo em ſocos, & logo quiz piſar os outros.*
E ſublimi me derides.
*Vir a andar por portas.* Ad reſtim redire.
*Vir a ſer tido em conta.* In numerum pervenire.
*Viſta faz fé.* Oculis magis habenda fides, quam auribus.
*Viva a gallinha, & viva com ſua pevide.*
Morboſam retine vitam formidine mortis.
*Viva, quem vence.* Vivat Mars.
*Viver de preſente, ſem ter conta com o futuro.* Vivere in diem.
*Uno pienſa el bayo, y otro quien le enſilla.*
Multa cadunt inter calicem, ſupremaque labra.
*Voar hum aſno pera o ceo.* Terra volat. *Vel* Juppiter orbus.
*Voluntad es vida.* Non ſolet eſſe gravis, cui placet, ipſe labor.
*Voſſas obras dizem, quem vós ſois.* Tutemet canis.
*Vós pagareis o patto.* In te iſta cudetur faba.
*Uſa, ſerás meſtre.* Fabricando fabrilia diſces.
Uſus optimus rerum magiſter.
Exercitatio omnia poteſt.

## Z

*Zombai com o tolo em caſa, zombará com voſco na praça.*
Si ſtulto clam, illudet tibi palam.

# FINIS LAUS DEO,

## Virginique Matri.



# TERTIA PARS

## SELECTISSIMARUM DESCRIPTIONUM, QUAS IDEM AUCTOR vel olim á ſe compoſitas, vel á probatiſſimis Scriptoribus emendicatas alphabetico ordine digeſſit.

*UBI QUÆ SINE ULLO AUCTORE PROPONUNTUR, AUCTOR IPSE FLORILEGII compoſuit, reliquas collegit.*

## A

*Adulatores Principis.*
*Ex Athenæo lib.* 6.

JAcebat Princeps adoleſcens vino marcidus in lectulo, qui (ut fert delicatorum ingenium) tumebat pluma, collucebat auro, flagrabat purpura. Tres adulatores hominem circumſtabant, in eum plus, quam deceret, officioſi nequiſſimo genere levitatis: unus pedes delicatiſſimo panniculo impoſitos molliſſime titillabat, & identidem demiſſa cervice ſuaviter oſculabatur, dignos exclamans pedes, qui ſuis veſtigiis roſas funderent, lactis, & mellis fontes aperirent. Alter manum propendentem è lectulo, & languide, ut fit ab ebriis, demiſſam leniſſime demulcebat. Tertius, qui nemini in hac nequitia cedere volebat, diffuſos per lacteam cervicem crines ſiniſtra lenibat manu, dextera flabellum tenens, ex mirifico caudæ pavoninæ choragio conflatum abigebat muſcas, ne quâ in domini caput involarent: ſed tam bonus cuſtos eſſe non potuit, quin una, ut eſt beſtiolarum importuniſſimum genus, ad corpus uſque jacentis penetraret: tum indigne factum clamant omnes & queritantur impudentiſſimas eſſe belluas, quibus non ſatis ſit homines pungere, niſi Deorum ſanguinem lambant. Hic tamen, qui cæteris ut nequior, ita ingenioſior volebat videri, non nihil animalculo condonandum eſſe cenſebat rem, audaculam feciſſe cervicem illam roſeam appetiiſſe, quis non appeteret? Involaſſe, non ut pungeret, ſed ut oſcularetur. Præclara oratio, ſed nulla apud iratos: edictum fit in muſcas, totis ædibus exterminantur, creatur inauditus antea magiſtratus, muſcarum Præfectus, cui ex officio incumbat totis ædibus muſcas expellere.

*Adulatores Principis.*
*Ex Scribano, cap.* 17.

Chamæleonti compones eos, qui omnem Principis affectum induunt. Ridet ille? imitantur riſum. Mæret? Lachrymas fundunt. Morbo tentatur? Morbum illi ſimulant. Stomachatur? Ira illis ad manum eſt. Amat? Plus illi, & oleum huic fornaci injiciunt. Otio delectatur? Laudant. Sævit? Accendunt etiam magis, & ligna huic igni ſupponunt.

*Adulator.*
*Ex Iuvenali ſatyr.* 4.

Quid quod adulandi gens prudentiſſima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici;
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis Antæum procul à tellure tenentis:
Miratur vocem anguſtam, qua deterius nec
Ille ſonat, quo mordetur gallina marito.

*Aër.*
*Ex M. Tullio 2. de Nat. Deor.*

Exinde mari finitimus aër die, & nocte diſtinguitur. Iſque tum ſpurius, & extenuatus in ſublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus, tum affluens huc, & illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates: idemque & volatus alitum ſuſtinet, & ſpiritu ductus alit, & ſuſtentat animantes.

*Æſtas* Vide *Anni partes.*
*Ætas hominis varia.*

Nemo magis rerum vices, labilemque indies naturam deprehendet, quam ſi multiplicem hominis ætatem contempletur: utque pueraſcit, utque juveneſcit, ac tandem ſenio opprimitur.

Dum puer, vix cruribus inſiſtit, firmatque veſtigia; mox petulanti exultantia geſtit paribus colludere, nec aliud quidpiam tantum cordi eſt, quam lapidei globuli, aut agitatus verberibus turbo. Ipſe nitida facie, vividis oculis, & tornatili corpore pulchellus.

Quando pueritiam egreſſus, quid tum pulchrius, quidve inſolentius juvene, quem nondum ſenilis ætas infinitis deformata fœditatibus vitiavit? Decens illi corporis habitus, apta membrorum compoſitio, liberalis vultus ſpecies. Clariores ſideribus nitent oculi, roſis verecundiores rubent genæ: mentum, cervix, & manus candent extra nives: malæ tenera lanugine veſtiuntur; aurea cæſaries Solem laceſſit: per colla, per humeros ſparſi volitant crines, ad auræque ludentis arbitrium laſciviunt. Neque ob id torpent vires, pulchrove in corpore ſegneſcit virtus: cum enim illi firmum pectus, toroſa brachia, pronumque, & acre ad arma ingenium, aut ſcintillantibus oculis, contractoque ſupercilio pugnam fremit, & juvenilibus animis exultat; aut per plateas incedit Junonio gradu turgidus.

Quid cum miſera ſenectus hanc tantam ſpeciem deformat? Priſtinus ille decor evaneſcit, cervicis candor, & genarum rubor extinguitur, apta, & decens illa membrorũ compoſitio turbatur. Quid plura? Apponite mihi ſcabrum ſenem, & jam vitio putreſcentis ævi carioſum, tremulum, incurvum, nonne tergum deformi gibbo ſupinatur; caput Soractis verticibus æmulum nativis nivibus caneſcit, oculi in lippitudinis ſtagno natant, denteſque rubigine prærupti, ac exeſi rimas exponunt? Expreſſit hanc omnĩ ætatis mutabilitatem Horatius in Arte Poet:

Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis juvenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.
Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quòd
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide, gelideque miniſtrat,
Dilator ſpe longus, iners, aviduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

*Ambitioſus.*
*Ex D. Cyprian. Epiſt. 2. lib.* 1.

Illum vides, qui amictu clariore conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura: at quibus ſordibus hoc emit, ut fulgeat? Quos arrogantium faſtus prius pertulit? Quas ſuperborum fores matutinus ſalutator obſedit? Quot tumentium contumelioſa veſtigia in clientum cuneis ante præceſſit, ut ipſum etiam ſalutatũ comes poſtmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, ſed poteſtati! Neque enim coli moribus meruit ille, ſed faſcibus. Horum denique videas exitus turpes, cum anceps temporum palpator abſceſſit, cum privati latus nudum deſertor aſſecla fœdavit: tunc laceratæ domus plagæ conſcientiam feriunt, tunc rei familiaris exhauſtæ damna noſcuntur, quibus redemptus favor vulgi, & popularis aura quæſita eſt.

*Amænitas loci.*

Nihil eſt tam jucundum, tantaque arborum, florumque varietate amœnum, quod huic loco conferri poſſit. Cum enim ibi nihil mollius cœlo, nihilque uberius ſolo, pubeſcentes herbæ fluviorum veſtiunt ripas, atque ex luxuriantibus herbarum toris condenſæ ſurgunt arbores, quæ opaco frondium, & ramorum tegmine ad hoſpitales umbras, comatum leniter crepitantium, undarũque trepide ſubterlabentium ſuſurrum invitant. Cumque ibi verna ſemper ac ſerena temperies, tellus ipſa, quanta eſt, in flores effuſa, & innumeris pene coloribus picturata candicat in liliа, lacteſcit in calthas, punicat in roſas, cærulat in violas, ac in omnigenam florum varietatem gemmaſcit. Quocumque oculos circumferas, ſerpere aſpalatos multiplici colorum lenocinio aſperſos, rubeſcere Narciſſos virgineo pudore ſuffuſos, aſſurgere achantos aureo pallore ſuperbos, lãgueſcere hyacinthos nigra ferrugine decolores. Inſuper reſtagnant flumina, ebulliunt fontes, luxuriant herbæ, renident flores, rident omnia; denique invenit natura locũ, in quo ad voluptatum illecebras, & ſatietatem delicietur.

*Amænitas loci.*
*Ex Plinio ſecundo.*

Extendebatur longe, lateque æquata, & nemoroſa planities omnibus ad voluptatẽ, & recreationem neceſſariis refertiſſima. Hic

virebant germina, vernabant roſæ, purpuraſcebant violarum pulvini, candebant liliorum areolæ: gemmea florum ambroſios efflātium varietate diſtincta, picturataque prata gratiſſime oculis arridebant, juges ſcatebant aquæ, quæ tremule, trepideque fluentes, & ad radiantes calculos, tenueſque lapillos molliter alliſæ ſuaviſſimū efficiebant ſuſurrum. Inter umbriferas convalles, & amœnos ſaltus perennia flumina interfluebant, pinguia culta, & ſponte ſua victus ferentia interſecabant, nactoſque ſine ſemine flores ſuaviter irrigabant; qui flores varietate colorum diſtincti, tepidoque Solis calore exultantes ridere quodammodo, & choreas agere videbantur.

*Amicitia. Ex M. Tullio pro Plancio.*

Quæ poteſt eſſe jucunditas vitæ, ſublatis amicitiis? quæ porro amicitia poteſt eſſe inter ingratos? Cujus opes tantæ eſſe poſſunt, aut unquam fuerunt, quæ ſine multorum amicorum officiis ſtare poſſunt? Equidem nil tam proprium hominis exiſtimo, quam non modo beneficio, ſed etiam benevolentiæ gratificatione illigari: nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam cōmittere, ut beneficio non dicam indignus, ſed victus eſſe videatur.

*Anni partes. Ex Anonymo.*

Cum ſolvitur acris hyems grata vice veris, & Favonii, mox pulcherrima illa mundi, naturæque ornamenta reviviſcunt: ſylvæ frondibus veſtiuntur: campi floribus omniferam, herbiſque diſtinguuntur, quibus odorum incredibilis ſuavitas efflatur, hinc blandiſſimis avicularum concentibus aër jam ſerenior demulcetur: hinc lymphæ ripis obſtrepunt manantibus: omnia oculis arrident, omnia auribus blandiuntur: prata, arva, colles, ſylvæ, convalles ad admirabile, atque pulcherrimum ſui ſpectaculum, aures, oculos, menteſque convocant. Venit æſtas, ut calidior ita frugum, ſeminumque omnium proventu uberior. Hanc inſequitur Autumnus calcatis ſordidus uvis, qui fortunatum Amaltheæ cornu, fructuum, pomorumque copia ſcaturiens diviti manu geſtat. Quæ tandem omnia extinguit glacialis hyems canis hirſuta capillis.

*Anus* Vide *Vetula.*

*Aper. Ex Virg. Æn.* 10.

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia Sylva
Paſtus arundinea, poſtquam inter retia ventum eſt,
Subſtitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos:
Nec cuiquam iraſci, propiuſve accedere virtus:
Sed jaculis, tutiſque procul clamoribus inſtant.

*Aper. Ex Silio Italico lib.* I.

Fulmineus ceu Spartanis latratibus actus
Cum ſylvam occurſu venantum perdidit, hirto
Horreſcit ſævus dorſo, & poſtrema capeſſit
Prælia ferventem mandens aper ore cruorem:
Jamque gemens geminum contra venabula torquet.

*Apes.*

Apum naturam expreſſit Virgilius 4. Georg. dum caneret, eam ſedulitatem, qua vere appetente, exeunt ab alvearibus, nemora per volitant, rorem, & nectar florum colligunt, ac deinde, vel intra cortices, vel rupium, arborumque latebras mellificant.

Quod ſuper eſt, ubi pulſam hyemem Sol aureus egit
Sub terras, cœlumque æſtiva luce refulſit,
Illæ continuo ſaltus, ſylvaſque peragrant;
Purpureoſque metunt flores, & flumina libant
Summa leves: hinc neſcio qua dulcedine lætæ
Progeniem, nidoſque fovent: hinc arte recentes
Excludunt ceras, & mella tenacia figunt.

*Aqua. Ex Anonymo.*

Una, eademque aqua in diverſas plerumque ſe mutat ſpecies, ut inter arena flava, inter cautes ſpumea, inter nemora viridantior, inter floralenta diſcolor, inter lilia fulgentior, inter roſeta rutilantior, in gramine liquidior, in palude turbidior, in fonte perſpicua, in mari obſcura aſſumpto colore, quibus influit, decurrit. Rigorem quoque pari ratione commutat, ut inter vaporantia ferveat, inter umbroſa frigeſcat, Sole repercuſſa exæſtuet, nivibus irrigata glaciali nitore caneſcat.

*Arbor.*

Quid vel ad aſpectum jucundius, vel ad capiendam voluptatem indulgentius, vel ad æſtivum depellendum calorem hoſpitalius, quam arbos patulis diffuſa ramis virentibus, comata fondibus, turgidiſque pomorum recurvata ponderibus? Hujus namque radices hærent rupibus, ſcopulis, aut tendunt ſub telluris viſcera: truncus nodoſo circunductus ambitu in maximam craſſitiem ſolideſcit: rami flexuoſis complicati ambagibus, quaſi in mutuos tendentibus amplexus, modo in ſeipſos redeunt, modo per aëra ſpatiantur: frondes leniter ventilatæ ſpirante Zephyro, ſuſurrant: poma è viridi in luteum tranſeuntia colorem turgeſcunt. Aviculæ interea ab his in alios volitant ramos, ac tenera gutturis inflexione mynoriſant. Denique nihil eſt, quod voluptatem non pariat: ramorum, & frondium opacitas aſpectui, pomorum maturitas ſapori, geminatus Zephiri ſuſurrus, & crebræ avicularum cantilenæ auribus blandiuntur.

*Arbor ignea.*

Inſigni plerumque Luſitanis eſt ſpectaculo confecta ex arundinibus ſulphureo pulvere refertis arbos, in truncum, ramos, ac frondes miro figurata artificio: quippe ubi admovetur facula, rapiunt illico frondes incendia: dumque per totum corpus deſcendit, ac volutatur peſtis, ignea ſubito devagatur procella, ignito rami curvantur pondere, flammifero gemmæ producuntur à cortice, ingeminato ſtridore crepitant ſolida, ventis aſſibilantibus concitata reboant cacumina. Demum iteratæ evomuntur favillæ, globi flammarum emergunt, undantique vertigine modo lambitur æther, modo torquentur in cælum jacula: cœlum jam crebris ignibus grandinat, jam conglobatis nubibus tenebreſcit.

*Arbor ignea.*

*Ex Famiano lib. 2. prol. 6.*

Arbor it in flammas, proque uno fulmine reddit
Fulmina mille, ſagittiferoſque irata maniplos
Explicat, haſtatoſque ſuos, haſtaſque micantes
In cœlum movet: at clypeo ſeptemplice cœlum
Obſtat, & ad terras ea tela recuſſa remittit:
Illa quidem redeunt, animaſque per aera fundunt,
Sulphureas animas, crepitantique imbre queruntur
Victa mori, atque atro peragunt ſibi funera fumo.

*Arbor.*

*Ex Maffeo lib.* II.

Arbor ad pyri ſimilitudinem accedit: fructus mala Perſica quatenus imitatur. Florent quo tempore ibidem aliæ quoque plantæ, & herbæ varii generis, & quibus univerſis mirificus odor, incomparabilis cujuſdam ſuavitatis exiſtit. Ubi defloruit, matureſcens pomum paulatim e viridi, tum cæruleas, luteaſque, tum purpureas, & igneas tranſit in maculas, quales in arcu cœleſti cum voluptate miramur; atque eo ipſo tempore pſittaci, & aliæ nobis ignotæ aves eximiæ pulchritudinis, ad gratiſſimum ſibi paſtum advolantes, augent oblectationem, cum folia, & fructus alites ipſæ variis colorum picturis in certamen uſque luxurient.

*Arx munitiſſima,*

*Ex Maffeo lib.* II.

Excelſa, & undique abſciſa eſt rupes, quæ ab ſatis lato fundo faſtigiatur ad ſummum; inde ad fungi maxime ſpeciem, circumquaque prominet labrum, mille fere paſſuum ambitu, ex quo ſubjecta quoque ita luſtrantur oculis, ut nullus circa latebris, inſidiiſve ſit locus. Intra ejus projecturæ planiciem regia tecta, cum capaciſſimis duabus ciſternis, & ornatiſſimo tēplo, cænobioque viſuntur. Accedit agri, quod probe cultum in annuum quingentorum fere hominum alimentum ſufficiat.

*Arx multiplex oppugnata.*

*Ex Oratore Gallo.*

Accedant recentes omnes expugnatores arcium, & ampullati rerum geſtarum amplificatores, ſuas expeditiones conferant cum obſidione Rupellæ. Verrucam jactant, unum ſcilicet terræ jugerū, de quo quis viſo dicere poteſt, ubi eſt? Oſtendam ſuam oſtentant, illudne receptaculum paucorum de navi hominum, & exilium piſcatorum? Rhodum inſulam memorant, ſed interceptam, & Chriſtianorū Principum auxilio deſtitutam. Juliodunū aſſerunt, ſed vaſto murorum ambitu difficile ad tuendum. Melitam prædicant, ſed belli caſibus ſuperiorem. Viennam loquuntur, ſed inexpugnabilem Solimano. Metas celebrant, vere metas, quas antiquo opere male munitas Carolus V. centum armatorum millibus fretus non potuit tranſgredi.

*Arx Rupellenſis.*

*Idem Orator proſequitur.*

Nos Rupellam dicimus expugnatam à Ludovico, cæteris omnibus inſuperabilem: Rupellam, inquam, non vaſtam amplitudine, non deſertam infrequentia, non preſſam anguſtiis, non rudi defenſam milite: ſed in regni finibus ſitam, confœderatiſque gentibus finitimam, omnibus belli præſidiis opportunam, veteri quidem, ſed multo magis recenti munimine formidandam: cujus portus non ſit accerſitus, foſſaque quæſitus, ut Antuerpiæ; non incommodus, & difficilis, ut Jccius; non periculoſus, ut Oſtendæ: non vaſtus, ut Gratiæ ſinus; ſed tum loci natura, tum arte omni firmatus, ut incertum eſſet, plus naturæ deberet, an arti, dum ars naturam ſuperaſſe, natura nullum arti locum reliquiſſe videretur

*Avarus.* Vide *Dives.*

*Aula Regis Zamorini.*

*Ex Maffeo lib.* I.

Stratū erat pavimentū ſerico heteromallo viridi: parietes vero bōbicina periſtromata intexto auro magnifice veſtiebāt, ligneis gradibus

affabre

affabre factis in theatri formam circumquaque eminentibus: ea procerum ſubſellia ſunt.

*Aula Pici regis.*
*Ex Virg. Æn. 8.*

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis.
Urbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici,
Horrendum ſylvis, & religione parentum:
Hic ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,

*Aulæum* Vide *Periſtroma.*

*Aurora.*
*Ex Anonymo.*

Cum uxor Tithonia eximio Regiæ frontis honore aureis ſtipata nubibus, amicum terris caput erexerit; & igneo ſublimis curru cœlum obequitat, die jam primum albeſcente lucidus vernat aër, tellus ridet florida, vitro æmulæ radiant undæ, petulci laſciviunt hædi, verſicolores cantillant aviculæ, & geſtiens plaudit orbis, tum vel maxime, quando Solem aureo excipit gremio, ac puniceis ſtipata nubibus ipſum parturit.

*Aurora.*
*Ex Virg. Æneid. 7.*

Jamque rubeſcebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis:
Cum venti poſuere, &c.

*Et lib. 9.*

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Jam Sole infuſo, jam rebus luce retectis;
Turnus in arma viros, &c.

*Aurora.*
*Ex Statio Theb. 12.*

Tempus erat, junctos cum jam ſoror ignea Phœbi
Sentit equos, penituſque cavam ſub luce parata.
Oceani mugire domum, ſeſeque vagantem
Colligit, & moto leviter fugat aſtra flagello.

*Aurora.*
*Ex Silio Ital. lib. 4.*

Condebat noctem deveæo Cynthia curru,
Fraternis afflata rotis, & ab æquore Eoo.
Surgebant roſeæ media inter cærula flammæ.

*Aurora.*
*Ex Ovidio 1. Eleg.*

Jamque pruinoſos molitur Lucifer axes,
Inque ſuum miſeros excitat ales opus.
Jam ſuper Oceanum venit à ſeniore marito,
Flava pruinoſo quæ vehit axe diem.

*Autumnus*, Vide *Anni partes.*

# B

*Barbarus.*
*Ex Anonymo.*

Cerne barbarum, ad ipſarum etiam ſtuporem pecudum ruſticũ: ut eſt truci vultu, hirta barba, neglecto capillo, nigris dentibus, colore fuſco, & ab imis unguibus ad uſque ſupremum verticem ſtipes: utque omnem feritatis excedat effigiem, compactis, firmiſque membris; & opima cervice prodigioſe deformis.

*Beatus ex omni parte nemo.*

Nemo mortalium ita numeris omnibus abſolutus eſt, ut omni nævo, & defectu careat. Quidam enim, etſi eleganti facie conſpicuus, ac decenti corporis habitu præditus ſit, animum plerũque corruptis moribus, & peſſimis voluptatibus deformat: quidam, etſi membrorum viribus polleat, tamen deſpondens animum inter pericula deficit, alius animi magnitudine excellens turpi, & inhoneſta facie dedecoratur: alius, poſita quantumvis oris ſpecie, integris moribus, virium robore, & animi magnitudinei valeat, laborat tamen errore mentis.

Cernes alios vaſta corporis mole formidandos, monoculos, ut Polyphemum: alios militaribus diſciplinis inſtructos, bellicisque facinoribus egregios, ſed altero oculo viduatos, ut Philippũ Macedoniæ regem, Annibalem Carthaginienſium imperatorem, Coclitem Romanum militem. Videbis quoſdam vel inſignes poetas, ut Homerum, & Steſichorum, vel excellentes Philoſophos, ut Democritum, & Aſclepiadem, vel in maxima dignitate collatos, ut Appium Claudium, C. Druſum, Juſtinum, & Conſtantium Copronimum imperatores, ſed hos omnes oculis penitus orbatos: quoſdam vel generis nobilitate claros, vel optimis diſciplinarũ facultatibus inſtructos, ut Epictetũ, Colomanum, Androclidẽ, ſed omnes claudos: hos denique plurimis animi, & mentis dotibus cõmendabiles, ſed externo corporis habitu, & vultus ſpecie deformes, ut Broteum, Treſitem, & Socratẽ philoſophum: illos liberali facie, & decenti corpore ad elegantiam compoſitos, ſed imbelles, molles, effœminatos, ut Lyſicratem, Battalũ, Ariſtophanem, Sardanapalũ. O fragilem vitæ conditionem! O teterrimas naturæ humanæ calamitates!

*Bellum metuendum.*

Quanta ſit ferocientis Martis ſævitia, quantus armatæ Palladis impetus, quam dira conſerti prælii facies, nemo ſatis unquam exponet. Quid enim bello ſævius, quid truculentius, quid exitialius? Sive conſiſtente utrimque militum acie, inter equorũ hinnitus tubarum clangores, & tympanorum ſtrepitus, campus ferveat armatis peditum, equitumque cohortibus, armatorum fulgor vibratum à Sole ſplendorem repercutiat, debileſque tuentium oculos perſtringat: ſive jam conferente manus exercitu, mutui confoſſi vulneribus milites occumbant, repletaque cadaveribus flumina non ſe poſſint in mare evolvere, ſed mixto corporum, & ſanguinis alluvione reſtagnent.

Interim vero, qui morientiũ gemitus, & ſuſpiria! quæ vulneratorum rabies! quæ devictorũ trepidatio? Quæ victorum protervitas, & inſolentia? Gladii, & ſpicula umbonibus retuſa ſtrepere, aër miſſilibus inumbrare? Campus ſanguine rubeſcere? Victor exercitus obluctantibus necẽ inferre. Fugientibus inſtare? Denique cuncta in ſumma rerum perturbatione verſari, objecta necis imagine horrere.

*Bellum Difficile. Ex oratore Gallo.*

Bellum illud aliquando confecimus, ad quod unum toto ſeculo cõmunia omnium vota, privata ſingulorum ſtudia, publica comitiorum conſulta, ſacrorum auguſta ſolemnia, Regum expeditiones innumeræ, multorum terra, marique contentio præliorũ, belli, pacique quotidiana conſilia, Reipublicæ demum totius rationes, motus, ſenſus univerſi referebantur: ne quis poſſet ambigere, quin hoc uno cardine fortuna civium, fores Galliæ, majeſtas imperii niteretur.

*Bellum. Ex Virg. Æneid. 7.*

Tum vero ad vocem celeres, qua buccina ſignum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis,
Indomiti agricolæ, nec non & Troia pubes,
Aſcanio auxilium caſtris effundit apertis.
Direxere acies, non jam certamine agreſti
Stipitibus duris agitur; ſudibus ve præuſtris;
Sed ferro ancipiti decernunt: atraque late
Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus; æraque fulgent
Sole laceſſita, & lucem ſub nubila jactant.

*Bellum. Ex Statio.*

Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,
Enſe minax enſis, pede pes, & cuſpide cuſpis,
Excluſere diem telis, ſtant ferrea cœlo
Nubila, nec jaculis arctatus ſufficit aër.
Hi pereunt miſſis, illi redeuntibus haſtis,
Concurrunt per inane ſudes, & mutua perdunt
Vulnera, concurrunt haſtæ, ſtridentia funda
Saxa pluunt, volucres imitantur fulgura glandes.

*Bucephalus.*
*Ex Q. Curtio lib. 6.*

Nec in dorſo ſuo patiebatur alium, & regem, cum vellet aſcendere, ſponte ſua genua ſubmittens excipiebat: credebatur ſentire, quem veheret. Erat autem Bucephalus equus forma ſpectabilis, atque formoſiſſimus, quem Philonicus Theſalus Philippo tredecem talentis emerat.

*Bucephalus. Ex Plinio lib. 8.*

Eidẽ Alexandro equi magna raritas contigit: Bucephalum eum vocarunt, ſive ab aſpectu torvo, ſive ab inſigni taurini capitis armo impreſſi. Neminem hic alium, quã Alexandrum regio inſtructũ ornatu recepit in ſedem, alios paſſim rejiciens. Vulneratus Thebarum oppugnatione in alium tranſire Alexandrum non paſſus.

# C

*Cadaver.*

Nunquam magis tetra, & horrida viſa mors eſt, quam ex indiciis illius corporis, in quod ſævum impetum profudit, ac immani laniena deſæviit. Quid horrifica cadaveris ſpecies? Eſtne aliquid vel odore tetrius, vel aſpectu terribilius, vel contagio peſtilentius? Proh dolor! Jacent incompoſita mẽbra, rigidi pedes, projecta brachia: declivis languet cervix inſolita vultum deformat, macies, oculi intra calvariæ meatus recedunt, ſupercilia dejiciuntur: vividus color vultum deſerit: nullus denique in ore lepos, nullus in corpore habitus.

*Cadaver. Ex Silio Italico lib. 12.*

Solvitur omne decus letho, niveoſque per artus
It Stygius color, & formæ populantur honores,
Ambroſiæ cecidere comæ, violataque cervix
Marmoreum in jugulum, collo labente recumbit.

*Cœlum. Ex Conimb. 2. Phyſ. c. 9. q. 1. a. 1.*

Idẽ multo evidentius confirmat cœleſtis mundi machina infe-

riorem mundū ſuo amplexu non ſolum continens, ſed fovens? illi ſtellarū ſuda nocte collucentes oculi, illa tot ſphærarū inenarrabili celeritate converſio, ille planetarum ad eadē loca redeuntium curſus, illud Solis jubar ſuo acceſſu, & receſſu annuas varietates inducens, idēque quotidiano ortu, & occaſu diem, ac noctē conficiens. Quare ſi ii, qui ſphæram ab Archimede extructam videbant, non dubitabant opus illud excellenti ingenio eſſe perfectum, quis ita mente cæcutiat, ut neget tā mirabile opificium divina ratione, & arte fuiſſe compoſitum?

*Calamitas magna.*

*Ex M. Tullio tom. 1. Pro Publio Quintio.*

Quid agendum eſt? cujus hominis fides imploranda eſt? qui denique queſtus, qui mæror dignus inveniri in calamitate tanta poteſt? Miſerum eſt exturbari fortunis omnibus, miſerius eſt injuria; acerbū eſt ab aliquo circunveniri, acerbius a propinquo: calamitoſū eſt bonis everti, calamitoſius cū dedecore; funeſtū eſt a forti, atque honeſto viro judicari, funeſtius ab eo, cujus vox in præconio quæſtum præſtitit: indignū eſt a pari vinci, aut ſuperiore, indignius ab inferiore, atque humiliore; luctuoſū eſt tradi alteri cum bonis, luctuoſius inimico.

*Calamitates vitæ humanæ.*

Quantis homo ſit obnoxius calamitatibus, quā gravis, & acerba ſit humanæ vitæ conditio, nullus profecto cognitione aſſequetur, niſi qui uniuſcujuſque ætatis curſū probe agnoverit, qua ratione infans in lucem edatur, utque adoleſcat, utque ſenio opprimatur, ac tandē fato concedat. Horam enim nullam videbit aut dolore vacuam, aut labore ſolutam, aut metu liberam: in ſumma namque vitæ brevitate vis ingens malorū circumquaque volitat, laborē labor excipit, dolor ex dolore nectitur, morbum morbus aſſociat, mærorē, atque luctum gravior quidam luctus ſæpe conſequitur: infinitæ curæ, moleſtiæ, ſolicitudines animum pervagantur, cumque frangunt, atque debilitant.

Quando in lucē recenter editi, quæ cura nutrices, quæ ſolicitudo parentes afficit! quæ pericula ſunt infantibus intenta! quæ morborum vis, & multitudo in illā tenerā, & imbecillem ætatē confertim invehitur! idcirco vitæ exordium a fletu ducimus, devinctisque membris omnibus in terram abjecti labores immenſos quaſi à ploratibus auſpicamur.

Quando adoleſcentes, ætate progreſſi metu, & cupiditate magis, ac magis turbari incipiunt: antequam ad pubertatē, vel ſenectutem perveniant, univerſa malorum omnium vis exiſtit, miſeros homines exagitat, ac de ſtatu mentis præcipitat. Hinc enim acerbi amores invadunt; inde turbulenta diſſidia ſtatum animi convellunt. Quid cum voluptates multis doloribus emptæ, cæco quaſi hominem impetu proſternunt? quid cū dominandi libido inflāmat animū? quid cum invidia eumdem conficit, atque conſumit? quid denique, cū varia, multiplex, ac infinita cupiditas omnē vim ſuam profundit, humanamque naturam omnibus morbis oppreſſam, ac impeditā dilacerat?

Adde, ſi lubet, nuptiarum moleſtias, familiæ labes, vitæ ſolicitudines, fori contentiones. Adde lubricam amicorū fidem, ſociorum proditiones, rerum civiliū turbines, atque procellas. Adde cædes, inſidias, ſupplicia, dedecus, & ignominiam, & reliqua mala, quibus vita florens vel momento temporis, quaſi turbidæ tēpeſtatis impetu, jactatur, vel in ſumma laborum omnium contentione obruitur.

*Calamitates vitæ. Ex Virg. 3. Georg.*

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

*Callidus. Vide Verſipellis.*

*Campus. Vide Elyſii. Pratum.*

*Cantus, & Choreæ.*

Nemo eſt, qui neget frequentiſſimo fuiſſe in uſu apud veteres tum muſicā, tum choreas, ut vel mærorem depellerent, preſſumque ſolicitudine animum laxarent, vel poſt epulas, aut in aliqua felicitate lætitiam proderent. Imo *Virg. Æneid.* 6. felices canit in Elyſiis eos, qui ludo contendere, choreas agere, lyras percutere, ac recitare cantilenas ſolebant.

Pars in gramineis exercent membra palæſtris.
Contendunt ludo, & fulva luctātur arena.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum;
Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.

*Capillus.*

*Ex Apulleio lib. 2. Met.*

Quid cum capilli color gratus, & nitor ſplendidus illucet, & cōtra ſolis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renidet? aut in contrariam gratiā variat aſpectū, & nunc aurū coruſcans in mellis lenem deprimitur umbram: nunc corvina nigredine cærulus columbarū floſculos æmulatur? vel cum guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente tenus diſcriminatus, & pone verſum coarctus oculis occurrens inſtar ſpeculi reddit imaginem gratiorē? Quid cum frequenti ſobole ſpiſſus cumulat verticē, vel prolixa ſerie porrectus dorſa permanat? Tanta denique capillamenti dignitas, ut quamvis auro, gēmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen, niſi capillum diſtinxerit, ornata non poſſit videri.

*Chamæleon. Ex Solino cap. 53. n. 40.*

Per omnē Aſiam Chamæleon plurimus, animal quadrupes, facieque lacertæ, niſi crura recta, & longiora ventri jungerentur, prolixa cauda, & eadem advertiginem torta, hamati ungues ſubtili aduncitate, inceſſus piger, & ferè idem, qui teſtudinum motus: corpus aſperum, & cutem, qualem in crocodilis deprehendimus, ſubducti oculi, & receſſu concavo introrſum recepti, quos nunquam nictatione obnubit. Viſum denique non circumlatis pupillis, ſed obtutu rigidi orbis intentat. Hiatus ejus æternus, ac ſine ullius uſus miniſterio, quippe cum neque cibū capiat, neque potu alatur, nec alimento alio, quam hauſtu aëris vivat: color varius, & in momento mutabilis: ita ut cuicumque rei ſe conjunxerit, concolor ei fiat: colores duo ſunt, quos fingere non valet, ruber, & candidus, cæteros facile mentitur. Corpus pene ſine carne, vitalia ſine liene, nec niſi in corculo pauxillum ſāguinis eſt. Latet hyeme, producitur vere. Impetibilis eſt coraci, a quo cū interfectus eſt, victorem ſuum perimit. Nam, ſi vel modicum ales ex eo comederit, illico moritur.

*Civis optimus. Ex M. Tullio tom. 1. Verr. 7.*

Non vereor de tali viro ne plus dicam, quam vos aut ſentiatis, aut apud vos cōmemorari velitis: quapropter hoc dicam, nunquam ejus auctoritatē nimium valere, cujus prudentiā Pop. Rom. in cavendo, non in decipiendo proſpexerit: qui juris civilis rationē nunquā ab æquitate ſejunxerit: qui tot annos ingeniū, laborē, fidem ſuā Pop. Rom. promptam, expoſitamque præbuerit, qui ita juſtus, & bonus vir eſt, ut natura, non diſciplina conſultus eſſe videatur: ita peritus, & prudens, ut ex jure civili, non ſcientia ſolū quædam, verū etiam bonitas nata eſſe videatur; cujus tantum eſt ingenium, ita prompta fides, ut quidquid inde haurias, purum, liquidūque te haurire ſentias.

*Civitas expugnata.*

Quid luctuoſius, quidne terribilius florentiſſimæ urbis everſione? Ubi pedē in urbe firmat hoſtis, templa diruit, evertit domos, ad pœnam exigit oppidanos, omnia ferro, flāmaque depopulatur. Interim qui gemitus, quæ ſuſpiria civium! quæ protervitas, quæ ſævitia hoſtium! Sacroſancta profanis miſcere, cadaverum verenda ſepulchra temerare; viros, fœminas, pueros, & ſenes nullo ſexus, aut ætatis diſcrimine ingentibus cladibus, & cruciatibus afficere; omnia denique ſacrilegia, latrocinia, & impietatem ſævo naturæ impetu, ac libidine metiri.

*Civitas expugnata Troia. Ex Virg. Æneid. 2.*

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lachrymis æquare labores?
Urbs antiqua ruit multos dominata per annos:
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque domos, & religioſa domorū
Limina: nec ſoli pœnas dant ſanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus;
Victoreſque cadunt Danai: crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Vide *Urbis depopulatio.*

*Civitas inexpugnabilis Rupella. Ex oratore Gallo.*

Hoſtis erat vincendus ille, qui ſuo ingenio ſemper elatus, nunc certe longo virium ſuarum uſu, & fortitudinis experimento, ſupra modū tumidus; certior ſibi ſemper de victoria, quam de prælio videbatur. Erat communis omnium ſenſus Rupellam temeritate, & audacia tentari poſſe, nulla arte, aut machinis capi poſſe: quæ hinc arduis quidem propugnaculis, foſſa præcipiti, pendenti vallo, continuato aggere, lenta palude, molitione multiplici incluſa eſſet; illinc vero latiſſimo, altiſſimoque freto munita: cui projectæ turres incumberent, & objicerentur portæ, tranſverſis cratibus, horrenti ferro, armatis navibus, feralibus tormentis, inevitabili catena vallatæ: adeo multiplici carcere debuit, antequam moreretur, includi rebellio! Quæ ſe virtute tueri non potuit, debuit machinis, & quæſita munitione defendere.

*Civitas obſeſſa, & oppugnata. Ex oratore Gallo.*

Quinquaginta millibus armatorum Rupellenſes obſidentur, tormentis ſexaginta, nulla intermiſſione murum quatientibus, urbs oppugnabatur: parte alia ſuffoditur, alia quaſſatur, fit labes ingens, & à vetuſto urbis fonte ad Evangelij propugnaculum, quod vocant, mœnia lacerantur: turris Cognenſis à fundamentis evertitur, novies in urbem irrumpitur, novies Rupella collata in unum omnium ſigna ſuſtinet. Quid tandem? Cecidit in irritum totus ille, quam magnus fuerat, apparatus; ſtetit

Rupel-

Rupella nondum bene deguſtata, ſuſæ obſidentium copiæ, mutilati non pauci, trucidati innumeri, obtrita prima acies, lacerata proxima, territa poſtrema.

*Civitatis obſeſſio Vide obſeſſio.*

*Civitatis Troianæ domus regia oppugnata*

*Virg. 2. Æneid.*

Protinus ad ſedes Priami clamore vocati,
Hic vero ingentem pugnam, ceu cætera nuſquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe.
Sic Martem indomitum, Danaoſque ad tecta ruentes
Cernimus, obſeſſumque acta teſtudine limen.
Hærent parietibus ſcalæ, poſteſque ſub ipſos
Nituntur gradibus, clypeoſque ad tela ſiniſtris
Protecti objiciunt: prenſant faſtigia dextris.

*Columba.*

*Ex Ramires de Concept. n. 45.*

Rapit oculos columbæ pulchritudo: candore argentum provocat, aurum flaveſcente dorſo: quot colli plumas gyrat, tot lucis flores rotat, imo tot gemmas; nunc roſeos pyropos vibrat, nunc hyacinthos amethyſtinos: jam cærula vernat in ſapphiros, jam in topazios pallidula amœnatur: punica grana protenduntur in roſtrũ, & in calceos coralia ſubſternuntur: grata quieſcit, ſaltat gratior, oſculatur venuſta: totas Veneris ſuæ Charites probat non fabuloſas.

*Columba.*

*Ex Philone de temul.*

Vidiſti aliquando columbæ cervicem radiis ſolis expoſitam, quã multis modis colores variet, puniceum, cæruleum, igneum, & carbunculi ſpeciem referentem, pallidum item, & rubicundum, & alios omnigenos, quorum ne vocabula quidẽ memorare ſit facile.

*Columbæ volatus.*

*Ex Virgilio Æneid. 5.*

Qualis ſpelunca ſubito commota columba,
Cui domus, & dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plauſumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapſa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

*Congratulatio Regi victori.*

*Ex Oratore Gallo.*

Quid ſupereſt, niſi ut te ſupereſſe velimus imperio, Ludovice? Addant vitæ tuæ Superi annos, quos patriæ addidiſti: dent Ludovico ſempiternum imperium, reddant ſempiternum imperio Ludovicum. Vivat nobis, vivat poſteris, vivat omnibus: ferat vitam, quam rebelles amiſerunt: aut ſi nobis, debetur hæres aliquis, tantæ virtutis, det Rex optimus ſobolem, ſe optimo meliorem, nequis unquam ſuccedat in regnum, qui non ejus virtuti ſucceſſerit.

*Convivium.*

*Ex Cauſſino lib. 11.*

Non convivium dixiſſes, ſed amphitheatrum quoddam voluptatum, in quod omnes ſenſuum cupiditates decertaturæ convenerant. Primum quidem ad oculi laſcivientis delicias, compoſita cænatio, quidquid auri, argenti, & margaritarũ uſquam fuit, partim in vaſis, partim in ſimulachris, partim etiam in parietum ornamentis expendiſſe videbatur. Suæ & tactui voluptates fuerũt; ſed guſtui primas omnes deferebant. Is enim ut expleretur, bellũ cœlo, terris, & mari ad internecionem uſque fuerat indictum, ut ex omnium elementorum ſpoliis una menſa conſurgeret.

*Convivium.*

*Ex Virg. Æneid. 1.*

Jam pater Æneas, & jam Troiana juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.

*Convivia.*

Quid referam infandas clades, & lamentabiles regnorum depopulationes, quas peperit nata ex conviviis, & comeſſationibus ſaturitas? Quid memorem ingentes militum copias, quæ nimio cibo, & vino deditæ inopinato hoſtium adventu oppreſſæ inter epulas conciderunt? Quid ruinas, & excidia præclariſſimarum urbiũ, quæ ſuorum vigilum, aut civium ignava compotatione ab hoſtibus captæ, direptæ, & funditus everſæ ſunt.

Teſtes Cymbri, populi bellaces, qui cũ Teutonibus, atque Tigurinis ab extremis Galliæ profugi Italiã iis conatibus invaſerunt, ut primo impetu Syllanum ducem, ſecundo Maniliũ, tertio Scipionem fugarent, & caſtris exuerent: actumque eſſet de Romano imperio, niſi Marius ſagaciſſimus illi ſæculo contigiſſet. Hic enim gentem ferociſſimam, quæ penetraverat in Venitiam Sylvam, quo fere tractu Italia molliſſima eſt, & ſeſe delicatis epulis, crebriſque compotationibus tradiderat, ita opportune aggreſſus eſt, ut uno impetu quadraginta millia trucidauerit. Teſtes Calenſes, quos militaris ſtudii oblitos Romani vino, dapibuſque gravatos oppreſſere. Teſtes populi Marſorum, quorum exercitus non ad vallos excubans, ſed menſis accumbens ab hoſtibus inopinato ingruentibus fuſus, & profligatus eſt.

Quid pulcherrimæ civitates? Troiam poſt fallacis equi receptionem, ſomno, vinoque ſepultam Græci invadunt, diripiunt, incendunt. Capuam Samnites, gravatis ſomno, epuliſque incolis, ea felicitate adoriuntur, ut facile ſub ditionem redigant. Cumæam ſuorum incuria civium epulantium hoſtes capiunt, & evertunt. Solymæam urbem, traditis ſomno, vinoque cuſtodibus, ingreſſi hoſtes domos ſubruunt, templa profanant, cives absque ullo ætatis & ſexus diſcrimine trucidant, omnia ferro, flammaque depopulantur.

*Curæ atroces.*

Quando viri cujusdam animo pendentis mentem dubiam varii obſervantium cogitationum turbines diſtrahunt, nihil eſt, quod afflictum curis animum levet; nihil quod incubantem menti caliginem diſcutiat; nihil, quod vehementis doloris acerbitatem leniat. Ingeminat identidem dolor, tenebroſus ingruit mœror, ſola inſtantis periculi meditatione ingraveſcente.

*Curarum æſtus.*

*Ex Virg. Æneid. 8.*

Talia per Latium; quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æſtu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat.
Sicut aquæ tremulum, labris ubi lumen ahenis
Sole repercuſſum, aut radiantis imagine Lunæ
Omnia pervolitat late loca: jamque ſub auras
Erigitur, ſummique ferit laquearia tecti.

*Ex Claudiano 2. Ruff.*

At procul exanguis Ruffinum perculit horror.
Infectæ pallore genæ: ſtetit ore gelato
Incertus; peteretne fugam, veniamne ſubactus
Poſceret? an tantos ſeſe transferret in hoſtes?
Addit iter, numeratque dies, ſpatioque viarum
Molitur vitam, torquetur peſte futura:
Nec recipit ſomnos, & ſæpe cubilibus amens
Excutitur, pœnamque luit formidine pœnæ.

# D

*Deliciæ virium expugnatrices.*

Adde voluptatis eam eſſe conditionem, ut quaſi peſtifera tabe ſenſus permeet, nervos frangat, vires debilitet, robur atterat, viriles animos emaſculet, ardoremque militarem prorſus extinguat. Hinc Samius ille *Pythagoras*, cum vellet à republica omnẽ prorſus voluptatem exigere, dictitaſſe fertur, in civitatem primum irrepſiſſe delicias, mox ſaturitatem, & deinde violentiam, poſtremo exitium. Quam enim civitatem nulli hoſtes vaſtare, nulla vis frangere, aut debilitare potuerat, vir prudentiſſimus verebatur, ne ſerpens voluptas corrumperet, ac profligaret.

Hinc Perſarum ſagaciſſimus Rex Artaxerxes, cum probe noſceret nihil præclarum, nihil decorum, & honeſtum geri poſſe ab iis, qui ſeſe voluptatibus, ac deliciis emancipant, Babylonios ferociſſimos, qui jugum frequenter excuſſerant, & nulla vi deditionem ſuæ civitatis facere cogebantur, ubi tandem redegit in poteſtatem, deliciis aſſuefecit, manicatis, ſinuoſiſque veſtibus uti permiſit: quin etiam juſſit ut tibiis, ac citharis, varioque muſices concentu demulcerent animos, lautiſſima celebrarent convivia, ut deliciis fracti omnem defectionis ſpem abjicerent.

*Ex Maffeio lib. 4. De Luſitanis.*

Pene portenti ſimile videtur, adeo maſculum nuper, ac durum genus, ad Centoſtam brevi defluxiſſe veſtium apparatus, conviviorum elegantiam, & exquiſitæ, ac lautæ ſupellectilis inſtrumenta. Sed nimirum quæ ſoli ubertas, & affluens copia rerum omnium ad Capuam Pœnos, in Græcia, Syriaque Romanos emolliit. eadem in Oriente per *Indorum*, Sinarumque commercium, variis captos voluptatum illecebris Luſitanos infregit.

*Deliciæ Verris.*

*Ex M. Tullio Verr. 7.*

Nam, ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica hexaphoro ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus Melitenſi roſa fartus: ipſe autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo, recticulumque ad nares ſibi apponebat tenuiſſimo lino, minutis maculis, plenum roſæ.

*Delicatus Vide Pulcher, Blandus.*

*Dialectica Gangi ſimilis.*

O vere paradiſus, & vere beata Academia, quam irrigat Ganges,

optimum, & expreſſum Dialecticæ ſimulacrum; Ganges enim (in-
quit S. Pagina) circuit omnem terram Hevilath, ubi naſcitur au-
rum. Ganges igitur fluctuoſis Mæandris, & tacitis aquarum cir-
cumfluentium ambagibus in regione illa latentes viarum errores
molliter intercipit: Dialectica eos conflat ſyllogiſmos propoſitio-
nibus ita per ambitum, & veluti circuitum diſpoſitis, ut quoslibet in
ſcientias obrepentes latenter errores deprehendat, vel etiam mi-
nima errorum pericula penitus obruat. & ſubmergat.

Ganges ſuo illo mirabili ambitu, & circuitu ab ipſis locis, quos
alluit, mutuatur viciſſitudines: ita ut inter arbores, & nemora fron-
deſcat, ac virente herbarum veſtitu luxuriet, inter ſcopulos, &
exceſas rupium latebras fluat aſperius, in puro camporum æquo-
re decurrat licentius: denique in vallibus deprimatur, in collibus
ſupinetur, in ſpeluncis delitescat. Haud ſecus Dialectica, ab ipſis
ſcientiis, quas pervagatur, omnigenam mutuatur nobilitatis, &
pulchritudinis varietatem: in Phyſica intra ſenſibilis materiæ exi
guos fines quodammodo repit, ac gemit coercita, & anguſtata;
in Metaphyſica aſſurgit ſuperbior, & veluti è ſordibus emergit, omni
jam materiæ decuſſo pondere pernicior: in Aſtrologia cœlum ſcan-
dit, volitatque ſupra ſidera: in Theologia denique jam ſacratior,
& divinior aſſociari gaudet cœlitibus, inveſtigare arcana ſupre-
mi Numinis, ejuſque innumeras, & mirabiles perfectiones explo-
rat.

Ganges denique fluvius aurifer terram illam circuit, ubi naſci-
tur aurum. O vere auriferam Dialecticam! O vere pretioſiſſimi,
auri genitricem! Nemo dubitat ſcientias auro per quam ſimiles,
in ipſo auro adumbratas, & expreſſas: nemo ſcientias omnes Di-
alecticæ ope, ac beneficio comparari.

*Dives avarus.*

*Ex Famiano lib. 3 præl. 3.*

Hominem illiberalem, perparce parcum, avarum, ſordidum,
rapacem, hiulcum, milvinis, & aquilinis ungulis animadvertite.
Is cum it dormitum, follem, quo excitare igniculum ſolet, obſtrin-
git ob gulam, nequid animæ amittat: aquam plorat, cum ſe lavat,
profundere: quia ei pridem tonſor ungues demiſerat, collegit, &
omnia abſtulit præſegmina. Quid verbis opus eſt? Ab hoc homine
famem utendam ſi roges, nunquam dabit. Denique meticuloſus,
ſolicitus, ſuſpicioſus, obſervari ab omnibus putat, quo pecuniam
loco conditam habeat, ideoque exoculatos homines vellet; quibus
uteretur, oculos eſſe in occipitio. Vide *Tenax*.

*Ex Horat. 1. ſat. 1.*

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
 Flumina; quid rides? mutato nomine, de te
 Fabula narratur: congeſtis undique ſaccis
 Indormis inhians, & tamquam parcere ſacris
 Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.

*Domus.*

*Ex Famiano lib. 1. prol. 4.*

Finge conſtructam ab artifice domum: jacta ſolide, alteque fun-
damenta, erectos ſublime parietes: intus atria, periſtilia, grada-
tiones, conclavia, thalamos, antithalamos: foris aperturas, limina,
jugamenta, præcinctiones, faſtigiorũ acroterea, ornamenta corona-
rũ, ſubgrundationes, projecturas, membra omnia ædificii ex archi-
tecturæ legibus ita fabricata, ut altitudo ad perpendiculũ, angu-
lus ad normam, longitudo ad regulam, lineamque reſpondeant.

*Duellum Luſitanicum Barbaro.*

Luſitanus, & Barbarus quidam in eamdẽ forte navim conſcende-
rant, viribusque uterque pollens, & tentandi roboris avidiſſimus:
ſed priorem Barbarum pugnandi intempeſtiva cupido inceſſit: igi-
tur Luſitanum provocat ad manus exarmatæ congreſſum: duellum
minime detrectat Luſitanus, ea tamen conditione, ut apertum
corpus tundentis arbitrio objiciat, ipſe poſtea non hoſtem, ſed
ſemetipſum percutiat. Stant legibus: prodeunt in arenam. Prior
Barbarus elata dextera illius ſtomachum graviter percuſſit, ac ſe-
mianimem, vixque reſpirantem demiſit. Luſitanus longo poſt
tempore, ubi ſpiritum collegit, Barbarum adit, & illius apprę-
henſam barbam (erat enim uſque ad pectus prolixa) ſemel & iterũ
ſiniſtra manu implicuit: contractam mox dexteram ſuſtulit. Cer-
nere erat trepidantem hoſtem, & qua minis, qua precibus ictum
declinare molientem, cui noſter: Ne trepides, Barbare, mihi, non
tibi infligendum eſt vulnus: dextrum deinde pugnum in ſiniſtrum
tantis viribus impegit, ut, dejecto turpiter mento, malas fœdiſſime
diſſociaverit.

*Bellum Luſitani cum Germano.*

*Ex Famiano lib. 2. proluſ. 6.*

Jam ſteterant ambo vituri, judice ferro,
 Luſiadæne magis præſtent, an Teutones armis:
 Largus uterque animæ: ſpes huic cum corpore creſcit,
 Illi decreſcit contracta in mole tuendi
 Cura ſui, multũque videt, quod in hoſte laboret.
 Jamque manu ferale rubens effulſerat enſis,
 Extremoſque artus animoſum frigus habebat;
 Cum ſubito á tergo creſcit fragor: armaque miles,
 Arma, ſubit muros, & portas ſubruit hoſtis:
 Urbem bellum intrat. Convertit lumina Teuton,
 Scandentemque videt, ſuperantemque ardua Thracem
 Mœnia, vexillumque manu Lunare gerentem:
 Stat dubius, cui bella ferat, cui differat iram;
 Luſiademque tuens, & amaro nubilus ore,
 Eripit, exclamat, mihi te fortuna, videres,
 Vane, quid hoc poſſet (ſineret modo patria) ferrum.
 Alter ad hæc anceps. & formidabile ridens,
 Enſe darem (& ſoleo) reſponſa libentius, obſtet
 Ni commune malum.

*Dux optimus Pompeius.*

*Ex M. Tullio tom. 3. pro Corn.*

O nomen noſtri imperii, o populi Romani excellens dignitas, ó
Cn. Pompei ſic late, longeque diffuſa laus, ut ejus gloriæ domicili-
um cõmunis imperii finibus terminetur: ó nationes, urbes, po-
puli, Reges Tetrarchæ, tyranni, teſtes Cn. Pompei non ſolum vir-
tutis in bello, ſed etiam religionis in pace: vos denique mutæ re-
giones, imploro, & ſola terrarum ultimarum: vos, maria, portus,
inſulæ, littoraque: quæ eſt enim ora, quæ ſedes, qui locus, in quo
non exteut hujus cum fortitudinis, tum vero humanitatis, tum a-
nimi, tũ conſilii expreſſa veſtigia.

*Dux optimus C. Cæſar.*

*Ex M. Tullio. tom. 3. pro Rabirio.*

Multas quidẽ C. Cæſaris virtutes, magnas, innumerabileſque
cognovi: ſed ſunt cæteræ maioribus quaſi theatris propoſitæ, &
pene populares: caſtris locum capere, exercitum inſtruere, ex-
pugnare urbes, aciem hoſtium profligare, hanc vim frigorũ, hy-
emem que, quam nos vix hujus urbis tectis ſuſtinemus, excipere,
his ipſis diebus hoſtem perſequi, tũ etiam cum feræ latibulis ſe te-
gant, atque omnia bella jure gentium conquieſcant.

*Idem de eodem pro Marcello.*

Soleo ſæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris uſurpare
ſermonibus, omnes noſtrorum Imperatorũ, omnes exterarum
gentium, potentiſſimorũque populorũ, omnes clariſſimorum Re-
gum res geſtas cum tuis nec contentionũ magnitudine, nec numero
præliorũ, nec varietate regionum, nec dexteritate conficiendi,
nec diſſimilitudine bellorum poſſe conferri.

*Dux fortis, & clemens.*

*Ex M. Tullio tom. 1. Verr. 4.*

Denique ille ipſe M. Marcellus, cujus in Sicilia virtutẽ hoſtes,
miſericordiam victi, fidẽ cæteri Siculi perſpexerunt, non ſolum
ſociis in eo bello conſuluit, verũ etiam ſuperatis hoſtibus tem pe-
ravit: urbem pulcherrimã Syracuſas, quæ cum manu munitiſſi-
ma eſſet, tũ loci natura, terra, ac mari claudebatur, cũ vi, conſi-
lioque cepiſſet, non ſolum incolumẽ paſſus eſt eſſe, ſed ita reli-
quit ornatã, ut eſſet idem monumentem victoriæ, manſuetudinis,
continentiæ: cũ homines viderunt, & quid expugnaſſet, & quibus
pepercitſſet, & quæ reliquiſſet.

*Ex Virg. Æneid. 6.*

Aſpice, ut inſignis ſpoliis Marcellus opimis
 Ingreditur, victorque viros ſupereminet omnes:
 Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
 Siſtet eques, ſternet Pœnos, Gallumque rebellem;
 Tertiaque arma Patri ſuſpendet capta Quirino.

*Dux laudandus.*

*Ex oratore Gallo.*

Unus tantũ effeciſti, quantũ univerſi laudare vix poſſint: Dicent
alii pietatem illam ſpectabilem, qua exercitui prælucebas: alii fa-
cilitatem ſcribent, qua toties vincebas, quoties prodibas in aciem:
alii prudentiã in conſiliis celebrabunt: alii fortitudinẽ in factis ex-
tollent: multis concluſus, & ſubjugatus Oceanus, multis merſus,
& profligatus Anglus, omnibus Rupellæ fames, & funus occur-
ret. Omnes poſtremo mirari poterunt ſe dixiſſe, quod aliorum
nullus attulerit, pauciora tamen ab univerſis eſſe comprehenſa;
quã unus fecerit Ludovicus.

# E

## Eborenſis Academia paradiſus.

Eborenſis Academia certe paradiſus eſt, tũ quia jacet prope illos
beatos, & Elyſios campos, O divor, olim Divorum: diuturnitas
enim temporis vocem corrupit; tum quia ſicut olim in primo illo
paradiſo Deus magiſter optimus parentes noſtros ſcientias omnes
edocuit, ita in hac Academia optimi ſẽper exiſtunt præceptores,
qui rudes hominum mentes ſcientiarũ omnium facultatibus ex-
colunt, & informant. Præterea natæ olim in paradiſo ſcien-
tiæ, mox decurſu temporũ ob admiſſa, & ingeminata ſcelera

mentibus

mentibus hominum caligantibus pene ſuppreſſæ, & extinctæ, tandem non aliis prius gentibus, quam Hiſpanis illuxerunt non procul ab Eborenſi ſolo inter fines Tranſtaganos, ita ut non ad Græcos, ut aliqui ſomniârunt, ſed ad Bæticos, qui partim Iberi, partim Tranſtagani ſunt, acquiſitæ ſcientiæ originem referant. Ita Annius Viterbienſis ad 5. lib. Beroſi ex Strabone lib. 3. Eos conſulite.

*Ebrietas.*

*Ex M. Tullio. tom. 1. Verr. 7.*

Iſte Prætor ſeverus, ac diligens, qui Populi Romani legibus nunquam paruiſſet, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat. Itaque erat exitus ejuſmodi, ut alius inter manus è convivio, tanquam è prælio auferretur, alius tanquam occiſus relinqueretur, plerique fuſi ſine mente, ac ſine ſenſu jacerent, ut quivis cum aſpexiſſet, non ſe Prætoris convivium, ſed Cannenſem pugnam nequitiæ videre arbitraretur.

*Ebrius.*

*Ex Cauſſino lib. 7.*

Hic ſimul atque ex prioribus horis diei, nimia cibi, ac vini ſatietate vix meridiano tempore, ac plenus crapula eſt experrectus, primum oculis mero madidis, humore obcæcatis, viſu gravidis lucem conſtanter intueri non poteſt; deinde confectis viribus, utpote cujus venæ non ſanguine, ſed vino ſunt repletæ, ſe ipſe erigere non valet; tandem duobus innixus, languidus, qui cubando ſit defatigatus, tunicatus ſine pallio, ſoleatus præ lectulo, pallioloque frigus á capite defendens, flexa cervice, ſummiſſis genibus, colore exangui, protinus ex cubiculari lectulo excitatus, in triclinium trahitur.

*Ex Horatio. 1. Epiſt. 5.*

Quid non ebrietas deſignat? Operta recludit,
Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem:
Solicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

*Elephantus.*

*Ex C. Julio Cæſare.*

Elephanti juxta ſenſum humanum intellectum habent, memoria pollent, ſiderum ſervant diſciplinam. Luna itaque creſcente ſegregatim amnes petunt, mox aſperſi liquore, Solis exortum motibus, quibus poſſunt, ſalutant: deinde in ſaltus revertuntur. Duo eorum genera ſunt, nobiliores indicat magnitudo, minores nothos dicunt: candore dentium intelligitur juventa, quorũ alter ſemper in miniſterio eſt, alteri parcitur, ne hebetatus aſſiduo repercuſſu, minus vigeat, ſi fuerit aliquando dimicandum. Cum venatu premuntur, pariter affligunt utroſque, ut ebore donato non requirantur: hanc enim ſibi cauſam periculi præſentiunt.

*Ex Jovio lib. 5. Elog.*

Sed elephantus aurea inſtratus ſtragula, & turrito ephippio Indos homines geſtans, in ſe admirantis populi ora convertit, quum extenta proboſcide, eaque nemini noxia, & paſſu ad modulos tibiarum temperato, jucundiſſime laſciviret. Obſtupuere in tantæ molis bellua Romanus in primis populus, & ſuburbanæ gentes tam docile ingenium, humaniſque adeo ſenſibus propinquum: quod magiſtri ſceptro ferreo imperantis vocibus pareret; venerarique Principem, & auguſtiore habitu homines certo geſtu videretur; circumfuſæque puerorum turbæ adulari didiciſſet.

Ex Beroaldo ad eundem epitaphium.

Monte ſub hoc elephas ingenti contegor ingens,
Quem Rex Emmanuel devicto Oriente, Leoni
Captivum miſit Decimo, quem Romula pubes
Mirata eſt: animal non longo tempore viſum
Vidit, & humanos in bruto pectore ſenſus.
At quæ ſors rapuit naturæ debita noſtræ,
Tempora, vos ſuperi, magno accumulate Leoni.

*Eloquens.*

Quid tuum divinum, atque incredibile genus orationis? Omnibus tu naturæ, vel artis præſidiis, ſive corporis habitus, ſive mentis doctrina ſpectetur, ad dicendum paratus es. In te neque lingua hæſitat, neque vox abſonat; ſermo minime languidus, & enervatus: vultus, motuſque corporis minime vaſtus, & agreſtis: ſed tempeſtiva linguæ mobilitas, mitis, placidus, acutus vocis ſonus, pro rerum, temporumve ratione modo lenis, vel iracunda, modo hilaris, vel truculenta oris ſpecies: ut manus, vultus, caput, & quæcumque in te ſunt, ad oratorum numeros venire credantur. Quid divinam illam orationis ubertatem, ſententiarum lumina, verborum lenocinia, & pigmenta! Quam detornate fluunt verba! Quam graphice cohæret ſtructura! Quam apte internitent apophthegmata! Quam placide labitur eloquium! Denique ſi ad totum oratorem oculos vertamus, quis cohortari ad virtutem ardentius, quis à vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos aſperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accuſando poteſt? Quis mœrorem levare mitius conſolando? Vide *Orator.*

*Elyſii campi.*

*Ex Luciano. lib. 2.*

Convivium celebratur in campo, qui Elyſius vocatur: etenim pratum eſt pulcherrimum, & circa illud nemus omni arborum ſpecie conſitum, umbram diſcumbentibus faciens: ſtratum autem ſubſternunt è floribus, miniſtrant, ac cuncta afferunt venti, præterquam quod vinum non miſcent. Nam circa convivium arbores vitreæ magnæ è micante vitro, harum fructus pocula ſunt omni ſpecie operis, & magnitudinis. Ubi autem quis ad convivium acceſſerit, unum ex illis, aut duo menſis decerpta apponit: ea confeſtim vino replentur: pro ſertis vero luſciniæ, canoræque volucres cæteræ flores è proximis pratis ore legentes, cum cantu eos ſupervolitant, aſperguntque. Porro, ut ungantur, denſæ nubes unguentum combibentes è fontibus, ſupraque convivium ſparſæ, ſenſim exprimentibus ventis tenuiſſimum quiddam, velut rorem diſtillant.

*Elyſii campi.*

*Ex Mureto lib. 3. Variar. cap. 1.*

Proditum eſt à veteribus poetis, eſſe quaſdam in Oceano inſulas, ad quas poſt mortem deferantur eorum animi, qui ſancte, religioſeque vixerunt. Ibi eos inter ſe jucundiſſime, ac ſuaviſſime vivere in amœniſſimo quodam prato, quod gemmea florum varietate diſtinctum, picturatumque ſit. Nunquam non illic nitere cœlum, frondere arbores, pubeſcere herbas, ridere omnia, ſpirare aſſidue molliſſimos Favonios, quorum flabellis comæ leniter ventilatæ placidiſſimo murmure auribus blandiantur; eo accedere innumerabilem vim, ac copiam immortalium avicularum, quæ uſque, & uſque liquidiſſimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium ſenſus incredibili voluptate permulceant. Pratum ipſum perennibus rivulis varie interſecari; quorum aquula nitidiſſima ad verſicolores lapillos molliter fracta, & alliſa, ſuſurrum efficiat dulciſſimum. Ita qua floſculorũ ambroſios odores exhalantium ſuavitate, qua Zephyrorum viridantibus arborum ramis illudentium ſibilo, qua volucrum cõcentibus, qua blando murmurantium rivulorum ſtrepitu beatas illas mentes exhilarari. Ergo alios ad Orphei, Amphioniſve lyram choreas agere, alios corollas texere, alios in herba fuſos conſerere ſermones jucundiſſimos.

*Elyſii campi.*

*Ex Virg. Æn. 6.*

Devenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.
Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo: Solemque ſuum ſua ſidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæſtris,
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

*Equus.*

Stat ſonipes, quo nullus præſtantior, ſive ad corporis ſpeciem, ſive ad membrorum agilitatem, corpus in primis grande, ſublime, erectum: cervice molli, capite exiguo, nigris oculis, patulis naribus, brevibus, & arrectis auriculis, lata, denſa, ac per dexterã partem profuſa juba: grandibus armis, inflexis lateribus, ventre ſubſtricto, cauda longa, ſetoſa, criſpa. Si habenas adducas, molliter lunat pedes, alternat gradus, obliquat inceſſum, ac frequenter inflectente ſeſe, & tollente capite ſpumas agit, ac fræna ferox ſpumantia mandit. Si calcaria admoveas laxatis habenis, aut gyrato curſu turbinis more circumfertur, aut recto impetu, more ſagittæ volantis in æquora præcipitatur.

*Equus.*

*Ex Varrone.*

Equus caput habeat non magnum, nec membris confuſis: ſit oculis nigris, naribus non anguſtis, auribus applicatis: non anguſta juba, crebra, fuſca, ſubcriſpa, ſubtenuibus ſetis implicata in dexteriorem partem cervicis: pectus latum, & plenum, humeris latis, ventre modico, cauda ampla, ſubcriſpa, cruribus rectis, æqualibus, genibus rotundis.

*Equus.*

*Ex Virg. 3. Georg.*

Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit:
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponti:
Nec vanos horret ſtrepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga;
Luxuriatque toris animoſum pectus; honeſti
Spadices, glaucique, color deterrimus albo,
Et gilvo: tum ſiqua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus:
Collectumque premens volvit ſub naribus ignem.

*Equus.*

*Ex Claudiano de 4. conſul. Honorii.*

Utque tuis primum ſonipes calcaribus arſit,
Igneſcunt patulæ nares, non ſentit arenas
Ungula; diſcuſſæque jubæ ſparguntur in armos:
Turbantur phaleræ ſpumoſis morſibus, aurum
Fumat; anhelantes exundant ſanguine gemmæ.

*Equus.*

*Ex Lucano lib. 4.*

Quippe ubi non ſonipes motus clangore tubarum
Saxa quatit pulſu, rigidos vexantia frænos
Ora tenens, ſpargitque jubas, & ſurrigit aures,
Incertoque pedum pugnat non ſtare tumultu:
Feſſa jacet cervix; fumant ſudoribus artus,
Oraque projecta ſqualent arentia lingua.

*Exemplum efficax.*

Quo dictis facta potentiora ſunt, eo ſuavius animis illabuntur, tenacius hærent, & calcar quoddam nobis adhuc reluctantibus adhibent, ut præeuntes, & virtutis facem, ſeu nequitiæ vexillum præferentes ſubſequamur. Sed quia ad ſcelus, quam ad virtutem procliviores ſumus, hinc eſt, quod eorum veſtigiis inſiſtamus, qui ſeſe corruptis, & peſſimis moribus deformârunt.

*Exemplum Regum.*

*Ex Oratore Gallo.*

Quid extuliſtis tantopere priſca monumenta Dionyſium, quod ſexaginta millia operarum exerceret, cum mœnibus areas Syracuſanas ambiebat? Quid Neronem hiſtorici, quod humeris corbem ferret, cum Iſthmum Corinthiorum perfodiebat? Quid Caracallam annales, quod ſemper laboris initium faceret, cum in caſtris agebat? Quid Manuelẽ Comnenũ Græci, quod ſaxa veheret, cum Dorylæum renovabat? Quid Conſtantinũ Romani, quod terram foderet, cum magnificentiſſimi templi fundamenta jaciebat? Ludovicum habent Galli, qui ſingulis militibus adlaboret, tantum ipſe conficiens operis, quantum imperet univerſis.

*Exercitus contumax.*

*Famianus lib. 2. Proluſ. 4. ex Livio lib. 3.*

Deportaverat Appius in volſcos exercitum, cumque ſævo imperio vexabat. Sed infenſum jam duci militem nec metus, nec pudor coercebat: ſegniter, otioſe, contumaciter omnia agere: ſi Conſul citius agi vellet agmen, tardius ſedulo incedere: ſi adhortator operis adeſſet, omnes ſua ſponte motam remittere induſtriam: præſenti oculos, atque ora demittere, prætereuntem tacite execrari. Quid multa? Productus in aciem Romanus miles turpi fuga petit caſtra, vixque à vallo ſubmovet inſtantem hoſtem.

*Exercitus laſciviens.*

*Famianus citatus ex Livio lib. 7.*

Delenierat militum Romanorum animos Capua, inſtrumentum omnium voluptatum, averteratque à memoria patriæ: jamque conſilia clam inibant, pulſis deditiis Campanis, eorum agros invadere, illaque ubertate camporum frui potius, quam Romam redire, & in peſtilenti, atque arido circa urbem ſolo diutius luctari.

*Exercitus diſciplina morum inſtructus.*

*Ex Oratore Gallo.*

Scripſit imperator militibus ſuis eas leges, quæ, ut ſibi ſcriberentur, contendere ipſi debuiſſent: docuitque prius vincere morum integritate, quam firmitate nervorum. Et quidem quiſquis in hæreticos pugnaturus eſt, debet virtute, quam manu certare validius. O novam bellorum faciem, novumque genus oppugnationis! Hactenus creditum erat perverſo, & præpoſtero præliorum uſu, bellũ ſine cæde, ſine facinore, ſine contumelia Numinis geri non poſſe: ſed ex quo noſtrum militem vidimus à cruore, à libidine, à convitio tam alienum, credi cæpit inter ipſa arma locum eſſe virtuti, ſceluſque non ſtipendiarium eſſe belli, ſed voluntarium adminiſtrum arbitrii.

*Exercitus alacer.*

*Ex Virgilio Æn. 11.*

At manus interea muris Troiana propinquat,
Etruciſque duces, equitumque exercitus omnis,
Compoſiti numero in turmas: fremit æquore toto
Inſultans ſonipes, & preſſis pugnat habenis,
Huc obverſus, & huc: tum late ferreus haſtis
Horret ager, campique armis ſublimibus ardent.

*Exhortatio ad bellum.*

*Ex Maffeio lib. 11.*

Ea re animadverſa, Joannes confeſtim aciem interequitans: Quæ vos (inquit) nova formido, commilitones, quis præter conſuetudinem horror invaſit? Scilicet ex longa defatigatione, incommodove loco deprehenſi, nec opinatam hoſtium multitudinem extimeſcitis? Quaſi vero nunquam adhuc, ex ejuſmodi periculis, ac difficultatibus, Dei benignitate, cum incolumes, tum victores etiam evaſerimus? Nonne, qui rebus in aſperis ad hanc uſque diem nobis, maioribuſque noſtris affuit Chriſtus, nunc quoque præſens, ac propitius fore putandus non eſt? Aut non idem hic eſt hoſtis, quem antea ſæpe fudiſtis? Cujus toties in terga pugnaſtis? Cui per hoſce dies invito, ac renitenti muniſſimam arcem impoſuiſtis? Proinde ſtate animis, viri, & omnẽ ſalutis ſpem, ſecundum immortalem Deum, in dextris, ac virtute reponite.

*Ex Virg. Æn. 2.*

Quos ubi confertos audere in prælia vidi,
Incipio ſuper his: juvenes, fortiſſima fruſtra
Pectora, ſi vobis audentem extrema cupido eſt
Certa ſequi, quæ ſit rebus fortuna, videtis.
Exceſſere omnes aditis, ariſque relictis,
Dii, quibus imperium hoc ſteterat: ſuccurritis urbi
Incenſæ, moriamur, & in media arma ruamus,
Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

# F

*Fama.*

Cum inter vates ſit frequentiſſimum, ut famam deſcribant, quaque ratione viros excitet, omnia pervolitet, falſaque veris, & dubia certis permiſceat, vatum princeps cæteris elegantius famam delineavit Æn. 4.

Extemplo Libyæ magnas it fama per urbes,
Fama malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo:
Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras:
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens, ira irritata deorum
Progenuit pedibus celerem, & pernicibus alis,
Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno:
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
Tam ficti, pravique tenax, quam nuntia veri.

*Fames.*

*Ex Anonymo.*

Videbantur in miſeris præ fame ſqualidæ frontes, & contractæ, genæ depreſſæ in lacunas, oculi introrſum reconditi, ora tabo pallentia; ventres macie collapſi, ſpecies prope cadaveroſa, ſic miſeram trahebant vitam, ut viderentur ante mortem mortui, ante ſepulchrum ſepulti.

*Fames.*

*Ex Ovidio 8. Met.*

Quæſitamque famem lapidoſo vidit in antro,
Unguibus, & raris vellentem dentibus herbas:
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore:
Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent;
Oſſa ſuo incurvis extabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus; pendere putares
Pectus, & à ſpinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

*Faſtus ætatis noſtræ.*

*Ex Famiano lib. 2. Proluſ. 5.*

Arripuit, tenetque hic tumor ætatem noſtram, ut juſto maiora omnia pervelimus, & decreſcentibus indies, mundi veluti ſenio, corporibus, proceriores tamen animos, contumacioreſque geramus. Conſiderate, quibus amicimur, veſtes, olim laneæ erant etiam Patriciorum: nam ſericum non tam veſtimentum, quam ornamentum fuit: conſecutis inde temporibus vulgatior aliquanto ejus uſus vilior fuit, diu tamen manſit apud nobilitatem: hodie opificum vulgus, ac ſellulari, ſericati, & holoſericati tranſlucent. Quid ornamenta domorum? Quid aula à textili auro illuminata? Quid vela acu picta pro foribus? Quid rhedæ, & currus pene triumphales? Quid peregrinantis gulæ, inque ſuccos omnes inquirentis induſtria? Quid purpura? Quid argentum? Quid domeſticum ſervitium? Quantum luxuria, faſtuque ſuperiorem ætatem antecellunt?

*Florum amœnitas, quæ paſcit, ac nutrit incolas.*

Annaliũ monumentis proditũ eſt regionẽ quandã eſſe ſegetibus nudam, arboribus vacuã, vineis detonſam, fructibus ſpoliatã, omniũ tamen terrarũ pulcherrimam, & feliciſſimam ſola florum diſſimilium pulchritudine, & fragrantia. Nam regionis illius accolæ albeſcente die, & ſole nondum acri, tunc cum maxime prata redolent,

redolent, totis ſimul cum familiis, per rura funduntur, apum more floribus incubant, probatiores quærunt, legunt hinc, inde odorantur. Mirum dictu, & quod nullibi fidem inveniat: eo tantum ſuffitu incœnati, impranſique ſolidam ætatem durant, & feliciſſima gens, nativo quodam faſtidio quaſcumque epulas averſata, ſuavi herbarum halitu, & ſolis florum odoribus ſatiantur.

*Fluvius.*

Mirum eſt, quanta ſit fluminis ab iis fontibus, unde erumpit, uſque ad pelagus, in quod exoneratur, mutabilitas, & diſſimilitudo. Ab ipſo ſtatim exordio fluit lenis, placidus, & quodammodo piger, ut in utram fluat partem, vix internoſcas. Molliter ſtringit ripas, leniter ſubit colles, preſſo alveo rupes ſubterlabitur: ubi vero locos excipit rivulos, ac in purum campum decurrit, confeſtim intumeſcit, ac dilatato agmine ſpatiatur, ut qui antea pontibus jungebatur, modo navium patiens ſit. Neque illa tantum varietas: ab ipſis namque locis, quos alluit, mutuatur viciſſitudines: inter arbores, & nemora veluti frondeſcit, ac virenti herbarum veſtitu luxuriat; inter ſcopulos, & exeſas rupium latebras fluit aſperius; in puro camporum æquore labitur licentius: denique in vallibus deprimitur, in collibus ſupinatur, in ſpeluncis deliteſcit.

*Fluvius turgidus.*

Ecquis erit tam præcipiti audacia, qui ſævientis fluminis impetum non abhorreat? Quid enim turbido flumine rapidius? Quid violentius? Quando liqueſcente nive, aut nimbis multiplicatis turgeſcit, ita creſcente paulatim alluvione extra alveum effunditur, ut ſylvas omnes ſecum trahat, agros ſternat, ingentia è ſummis montibus avulſa ſaxa præcipitet, oppida, & urbes ſubvertat, interque rapidos aquarum vortices commixta volvat hominum, pecudumque cadavera.

*Ex Virg. Æn. 2.*

In ſegetem veluti cum flamma, furentibus Auſtris,
  Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
  Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores,
  Præcipiteſque trahit ſylvas: ſtupet inſcius alto
  Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

*Fluvius Marſias.*

*Ex Q. Curtio. l. 3.*

Media illa tempeſtate mœnia interfluebat Marſias amnis, fabuloſis Græcorum carminibus inclytus: fons ejus ex ſummo montis cacumine excurrens, in ſubjectam petram magno ſtrepitu aquarum cadit: inde diffuſus circumjectos rigat campos liquidus, & ſuas dumtaxat undas trahens. Itaque color ejus placido mari ſimilis, locum poëtarum mendacio fecit: quippe traditum eſt nymphas amore amnis retentas in illa rupe conſidere.

*Fluvius lucum interfluens.*

*Ex Virg. Æn. 7.*

Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
  Proſpicit, hunc inter fluvio Tyberinus amœno,
  Verticibus rapidis, & multa flavus arena
  In mare prorumpit: variæ circumque, ſupraque
  Aſſuetæ ripis volucres, & fluminis alveo
  Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.

*Fœdus homo.*

Miſerrimum iſtum hominem adeo natura infinitis fœditatibus deformavit, ut nihil ſit turpe, nihil inhoneſtum ad corporis habitum, & oris ſpeciem, quod in eum non congeſſerit. Corpus in primis tam gracile, aridum, exile, miſeraque macritudine confectum, ut cuti, atque oſſibus hærere vix credas. Membrorũ nulla compoſitio: namque turbinato capite, longa cervice, prominenti gibbo, carinato pectore, condito introrſus ventre, diſtortis cruribus, cunctis tædio, ac ſtupori eſt. Vultus nulla ſpecies: in fronte, in ore, in oculis, in naribus peccant infinita. Jam facies in longum porrecta, in latum turpiter anguſta: frons obſcœna, & fœdo rugarum ſulco ſtriata; naſus in longiſſima facie adeo conſepultus, ut vix emergat: oculi in ſtagno lippitudinis natant, ac ſtolide protuberant. Denique hirſuta genarum aſperitas, barbæque tanta vilitas, ut partim in horrentem ſylvam excreſcere, partim capillorum indecora raritate ridicule aſpergi, non immerito obſtupeſcas.

*Fons.*

Modicus clementer aſſurgit collis, denſa plerumque arbore nemoroſus, & opacus, è cujus radice exprimitur fons pluribus venis, & imparibus, qui eluctatus facit rivulum, ac lato gremio adeo pateſcit purus, & vitreus, ut adnumerare jactas ſtirpes, & relucentes calculos poſſis: inde loci devexitate ad ſubjectos lapides tremule, trepideque alliditur, mox ipſa ſui copia, & quaſi pondere impellitur: fons adhuc adeo placidus, ac nitidus, ut ad pellucidos liquores, gelidaſque ſcaturigines invitet; ipſo vero aquarum auctu, & quaſi fœnore ſtatim adeo turgidus, ut navium patiens remigio nautarum verberetur. Nonnulla ex Plinio lib. 8. epiſt. 8.

*Fons Solis.*

*Ex Q. Curtio lib. 4.*

Eſt aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, Solis aquam vocant: ſub lucis ortum tepida manat: medio die, cujus vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit: inclinato ad veſperum, caleſcit: media nocte fervida exæſtuat; cumque nox propius vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit, donec ſub ipſum diei ortum aſſueto tempore langueſcat.

*Fons Blanduſiæ.*

*Ex Heratio lib. 3. Ode 13.*

O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro,
Dulci digne mero, non ſine floribus
  Cras donaberis hædo: &c.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Neſcit tangere: tu frigus amabile
  Feſſis vomere tauris
  Præbes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium
Me dicente cavis impoſitam ilicem
  Saxis: unde loquaces
  Lymphæ deſiliunt tuæ.

*Fortitudo prodigioſa.*

Si vellem fortiſſimorum hominum vires commemorare, & fides habenda ſit auctoribus, non ignoro Junium iis pollentem viribus, ut concitatas quadrigas injecta manu retardaret: non me latet Rhœtus Centaurus ea præſtans ſoliditate membrorum, ut proceras ornos ab humo vulſas pro jaculo in hoſtes contorqueret: non ſum ignarus Tritormi, cujus dextera pedem tauri fugientis, & nequicquam eluctantis adeo tenaciter comprehendit, ut facili negotio retinuerit: non ſum immemor Lyſimachi, qui bellvis juſſu Alexandri objectus, leonem irruentem adortus, utraque manu arrepto gutture, ſtrangulaverit: non me fallit Ariſtomenes Meſſenius, qui conſiſtente utrimque militum acie, dum fremerent hoſtes, inter equorum hinnitus, tubarum clangores, & tympanorum ſtrepitus, ſolus abſque ullo militum præſidio in copioſum, & armatum exercitum irrupit, ac tanto animi ardore, & robore virium dimicavit, ut trecentos Lacedæmones multis, & horrendis vulneribus uſque ad internecionem deformaverit. Sed in maiorem admirationem rapit Tritanus: hic ab hoſte magnanimo, & omni militari armatura apprime inſtructo in ſingulare certamen provocatus, in medium inermis proſiluit, & ſine ullo thorace, & clypeo ad repercutiendum ictus, ſine telo & gladio ad inferendum vulnus, non integram dexteram, ſed digitum pro mucrone objecit, armatumque hoſtem transfixit. Nec ſatis, victoria exultabundus jacentem iterum trajicit, & in caſtra, ô prodigium! Quaſi veru transfixum leporem, verſis in admirationem militibus, reportat.

*Fortitudo Luſitanorum.*

Nemo fuit unquam ſive veterum Græcorum, Romanorum, Macedonum, Perſarum, ſive reliquarum gentium, qui fortitudine Luſitanos excelleret. Teſtor L. Æmilium à Luſitanis cum exercitu cæſo profligatum. Teſtor Sergium Galbam prætorem à Luſitanis cum exercitu cæſo vix elabentem. Conſulite Paulum Oroſium lib. 4. c. 2. Teſtor noſtrum Viriatum, qui per quatuordecim annos (ut narrat Florus lib. 2. c. 17.) non tantum Romanorum impetum ſuſtinuit, ſed cum recentibus legionibus tanto ardore, & felicitate victricia ſigna contulit, ut paſſim funderet, premeret, trucidaret.

Ea ferme tempeſtate Luſitanus quidam ruſticus (cujus nomen, vel generis obſcuritas, vel injuria temporis ſuppreſſit) cum victores ſocii à bello recederent, & in ſuum quiſque latibulum ſe reciperet, faſci venabulum prius inſerens, ſuſpenſum humero ſolus geſtabat. Ecce tibi frementes audit hoſtes, & ſequentum ſtrepitus, nec longo interpoſito tempore, quinquaginta Romanos equites conſpicatus ſtetit imperterritus, falcem interim depoſuit, verutum expedivit: mox in fortiſſimum, infeſtiſſimumque invectus ferrum adegit, effuſumque equitem præcipitans, tantum cæteris incuſſit terrorem, ut ſtupentibus cunctis, & in fugam averſis, impunis, & exultabundus diſcederet.

Cæterum, veteribus prætermiſſis, ad noſtram ætatem vertamus oculos, in qua Luſitani tam inſolita facinora patrârunt, ut antiquorum hiſtorias, imo & fabulas prævertant. Teſtis Europa, Aſia, Africa, & America, quas noſtri homines infinitis victoriis peragrârunt, & fauſtis ſemper eventibus ſigna victricia circumtulerunt. Mitto innumerabiles urbium ruinas, & excidia, ingentes cæſorum militum acervos, captas, & expugnatas arces, domitas provincias, extinctos duces, reges, ac principes ſubjugatos. Abſtineo à privatis facinoribus recenſendis, quia ſub numerum vix cadunt.

Fortuna-

*Fortuna mutabilis.*

Quam varia, & commutabilis ſit humanæ vitæ ratio, quam vaga, & volubilis, & puerilibus conſentanea crepundiis fortuna, quantæ in hoſtibus inſidiæ, in amicis fallaciæ, atque ad tempus ſimultates, quanta in acquirendis divitiis pericula, quantus in retinendis metus, quantus in amittendis luctus, nemo poterit recenſere. Fortuna, quæ ab omnibus domina, & regina ſalutatur, adeo levis, & mobilis eſt, ut ſola mobilitate vigeat, ſolaque in levitate perſiſtat: & iiſdem modo hilari, modo torva facie ſe exhibeat; & rebus omnibus ſpoliet, quos divitiis, & honoribus nuper cumulavit: ut cum nullis hæreat radicibus, quos in ſublime erexit, huc & illuc incertiſſimis flatibus agitatos ingenti ludibrio diverberet, ac tandem omni præſidio deſtitutos in profundum pelagus calamitatum omnium demergat.

*Fortuna caduca.*

*Ex M. Tullio tom. 2. Pro Sylla.*

O miſerum, & infelicem illum diem, quo Conſul deſignatus eſt. O falſam ſpem! O volucrem fortunam! O cæcam cupiditatem! O præpoſteram gratulationem! Quam cito illa omnia ex lætitia, & voluptate ad luctum, & lacrymas reciderunt! Ut qui paulo ante Conſul deſignatus fuiſſet, retinere repente veſtigium priſtinæ dignitatis. Quid enim erat mali, quod huic ſpoliato honore, fama, fortunis deeſſe videretur? Ut cui novæ calamitati locus nullus relictus eſſet.

*Ex Ovid. Triſt. 3.*

Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat;
  Et manet in nullo certa, tenaxque loco.
Sed modo læta manet, vultus modo ſumit acerbos,
  Et tantum conſtans in levitate ſua eſt.

*Ex Horat. 3. Car. Ode 29.*

Fortuna ſævo læta negotio,
  Ludum inſolentem ludere pertinax
  Tranſmittit incertos honores,
  Nunc mihi, nunc alii benigna.

*Fulmen.*

*Ex Lucano lib. 1.*

Qualiter expreſſum ventis per nubila fulmen
  Ætheris impulſi ſonitu, mundique fragore
  Emicuit, rupitque diem, populoſque paventes
  Terruit, obliqua perſtringens lumina flamma:
  In ſua templa furit, nullaque exire vetante
  Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
  Dat ſtragem late, ſparſoſque recolligit ignes.

*Fulmen fabricatum à Cyclopibus.*

*Ex Virg. Æn. 8.*

His informatum manibus, jam parte polita
  Fulmen erat, toto genitor quæ plurima cœlo
  Dejicit in terras, pars imperfecta manebat:
  Tres imbris torti radios, tres nubis aquoſæ
  Addiderant, rutili tres ignis, & alitis Auſtri:
  Fulgores nunc terrificos, ſonitumque, metumque
  Miſcebant operi, flammiſque ſequacibus iras.

Fur. Vide *Verſipellis.*

# G

*Gallus.*

*Ex Plinio lib. 10. cap. 21.*

Proxime gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit. Norunt ſydera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu, cum ſole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas, laboremque revocant. Nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere: denique venientem nuntiant cantu, ipſum vero cantum plauſu laterum. Imperitant ſuo generi, & regnum, in quacumque ſunt domo, exercent. Dimicatione pariter hoc quoque inter ipſos, velut ideo tela agnata cruribus ſuis intelligentes: nec finis ſæpe, niſi moriendo. Quod ſi palma contigit, ſtatim in victoria canunt, ſeque ipſi principes teſtantur: victus occultatur ſilens, ægreque ſervitium patitur. Cœlum ſola volucrum aſpicit crebro, in ſublime caudam quoque falcatam erigens: iique terrori ſunt etiam leonibus ferarum generoſiſſimis.

*Gloria.*

*Ex M. Tullio tom. 1. pro Rabirio.*

Etenim, Quirites, exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriæ: quare ſi eos, qui jam de vita deceſſerunt, ornabimus, juſtiorem nobis mortis conditionem relinquemus.

*Ex eodem tom. 3. pro Milone.*

Addit hæc, quæ forte vera ſunt, fortes, & ſapientes viros non tam præmia ſequi ſolere recte factorū, quā ipſa recte facta: ſe nihil in vita, niſi præclariſſime feciſſe: ſiquidē nihil ſit præſtabilius viro, quam periculis patriam liberare: beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit à ſuis civibus, nec tamen eos miſeros, qui beneficio cives ſuos vicerint: ſed tamen ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum ampliſſimum eſſe præmium gloriam; eſſe hanc unam, quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur: quæ efficeret, ut abſentes adeſſemus, mortui viveremus: hanc denique eſſe, cujus gradibus etiam homines in cœlum videantur aſcendere.

Gygas. Vide *Homo procerus.*

# H

*Hiſtoria.*

*Ex M. Tullio lib. 1. de Orat.*

Hiſtoria (inquit) teſtis temporum, lux veritatis, vitæ memoria, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis, qua voce alia, niſi oratoris, immortalitati commendatur.

*Hiſtoriæ finis.*

*Ex Famiano lib. 2. proluſ. 2.*

Finem hiſtoriæ nihil ambigo eſſe perpetuitatem, immortalitatemque rerum geſtarum, quarum tranſmiſſione ad poſteros, facilius homines ad honeſta, ac ſalutaria concitentur, à turpibus vero noxiiſque terreantur, atque in univerſum diſcant ex præteritis conſilia capere in poſterum, remque ſuam tum privatam, tum publicam regere maiorum exemplis.

*Hominum fœditas irreparabilis.*

Omnium quondam Deorum induſtria, & ingenium (ſi fabulis adhibenda fides eſt) conſpiravit, ut pro humani generis labentis reparatione ſublime opus conficeret: quod non evaſit ita numeris omnibus abſolutum, ut nullo prorſus indigeret. Rem paucis expediam. Convivantibus Diis, & jam largo nectare temulentis, Hilaritas jocis, ac dicteriis aſſueta Dea in medium proſiluit. Hæc poſtquam more ſuo bene pranſa Numina, ab ipſo Jove incipiens, riſu, ſalibuſque perfudit, narrat per jocum humanis in rebus grandem labem, ac flagitium interveniſſe: maximas calamitates humani vultus ſpeciem, & habitus compoſitionem pati, vix inter homines unum, vel alium reperiri, qui non inſigni aliqua fœditate deformetur: puſillos humi repere, proceros vertice ſydera, & nubes tangere, alios diſtortis cruribus male enixos, alios tracta cervice incurvos: quoſdam gibbo ſuo fœde onuſtos, ac ſuffarcinatos incedere; quoſdam vel aridis, vel imparibus poplitibus turpiter claudicare, hos graciles, aridos, exiles, vix cute atque oſſibus hærere; illos vix alvum trahere ſuilla pinguedine, & mole abdominis irridendos: denique humanam formoſitatem penitus lapſam ire, niſi Dii, Deæque omnes de reſarcienda provideant.

Arriſit omnibus Hilaritatis conſilium: ſtatimque de Jovis ſententia decernitur, ut pulchritudini ſarciendæ Nympha quædam procrectur pulcherrima, & omnium venuſtatum numeris abſolutiſſima, in quam certatim Deorum ſinguli proprias elegantias transferrent. Primus Jupiter artifici manu ſtaturam corporis emenſus optima lineamenta expreſſit: mox alii ſubſecuti, Minerva oculos, Diana manus, Proſerpina crines, Ceres brachia, Apollo vocem, Mercurius eloquentiam pro ſuo quiſque munere contulerunt: nullus immortalium fuit, qui non aliquam venuſtatis particulam ſuper injiceret: ſtetitque Pandora (ſic illam dici placuit) omnium Deorum artificio pulcherrime elaborata. Cum tamen Deos omnes præteriret talem Nympham apto colore imbuere, procul dubio decolor, ac jejuna maneret ſpecies, niſi adeſſet Pudor, qui penicillum arripiens lacteolam faciem verecundo rubore inficiens mollia genarum ſpatia tenerrimo igne inflammavit.

Homo fœdus. Vide *Fœdus.*

*Homo tempori inſerviens.*

*Ex M. Tullio tom. 3. pro Cælio.*

Illa vero, Judices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obſequio, cum omnibus communicare, quod habebat, ſervire temporibus ſuorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, ſcelere etiam opus eſſet, & audacia: verſare ſuam naturam, & regere ad tempus, atque huc, & illuc torquere, & flectere: cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucunde, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe vivere.

*Homo multorum nominum.*

*Ex Famiano lib. 3. prælec. 2.*

Dynaſta fuit inter Cantabros haud ignobilis: nomen ne quærite: erat ille multorum nominum, longumque eſſet negotium ſimul omnia expedire: nempe tam prolixo appellationum ſyllabo cenſebatur, ut monitore ad confirmandam memoriam, ac nomenclatore neceſſe haberem; imo (nam licet jocari cum Plauti Sycophanta.)

Si ante lucem ire occipiam á primo nomine
Concubium ſit noctis, priuſquam ad poſtremum perveniam.
Et opus cibo, & viatico mihi ſit ad hæc nominum ſpatia conficienda.

*Homo procerus.*
*Proſequitur Famianus ibidem.*

Hic tamen appellationum homo multarum, ac multigenerum, quem immani fortaſſe corporis mole, aptaque ſuſtinendis tot nominum titulis ipſi vobis tacite conformâſtis, quem toto ſupra verticce ſublimem facile credidiſtis, quem, ut opinor, multiplicem, ac Geryonaceo de genere, aut Enceladi, Tiphœive ſobolem, ſeu centum geminum Briareu n exiſtimâſtis, hominis inquam hyperbolem, veſpertinam umbram, Rhodium Coloſſum, Giganto machiæ Colophonem, unam ex Herculis columnis, hoc eſt hominẽ, cui poſſit inſcribi, *non plus ultra.*

*Homo puſillus.*
*Proſequitur adhuc Famianus.*

Hic (ne vos pluribus morer) homo bipalmaris erat; homo, inquam? Hominis indicium dicere volebam, ſomnium hominis, ſabillum animæ, hominis quadrantem, particulam, fruſtumque hominis, ſigillum, compendium, aut ſi mavultis, hominis breviarium. Videri illum quidem hominem natura voluit, conataque eſt, & vere apparebant hujus conatus in illo veſtigia, ſed opus non abſolvit, ac pro homine hominis ſpecimen dedit. Nimirum lepidiſſimus ille, qui ſu s ſe appellationibus facile involvebat, totus effluxerat in nomina: diceres punctum, ac centrum videri, ex quo lineæ complures abeunt, ac punctũ undique circumſtant, ipſum vero effugit acies oculorum.

*Honeſtas, & gloria.*
*Ex M. Tullio tom. 3. pro Ceſtio.*

Amemus patriam, pareamus ſenatui, conſulamus bonis: præſentes fructus negligamus, poſteritati, & gloriæ ſerviamus: id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum: ſperemus, quod volumus, ſed quod acciderit, feramus; cogitemus denique corpus virorum fortiũ, magnorumque hominum eſſe mortale, animi vero motus, & virtutis gloriam ſempiternã: neque hanc opinionem ſi in illo ſanctiſſimo Hercule conſecratam videmus, cujus corpore ambuſto, vitam ejus, & virtutem immortalitas excepiſſe dicitur, minus exiſtimemus eos, qui hanc tantam Remp. ſuis conſiliis, ac laboribus, aut auxerint, aut defenderint, aut ſervârint, eſſe immortalem gloriam conſecutos.

*Honeſtas ſervanda à juventute.*
*Ex M. Tullio pro Cælio.*

Parcat juventus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius domũ, atque famam, ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat: ne quẽ interimat, ne interſit inſidiis, ſcelere careat: poſtremo cũ paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates, revocet ſe ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, Reipublicæ, ut ea, quæ ratione antea non perſpexerat, ſatietate abjeciſſe, experiendo contempſiſſe videatur.

*Horologium.*
*Ex Famian. lib. 2. prol. 3.*

Hæc, quæ metitur vocalis tempora moles,
Cum Cœlo tacitum, credite, fœdus habet:
Nam Cœlo Sol quidquid agit noctuve, diuve,
Inſcriptum nobis machina fronte refert.
Artis opus miræ! Ad terram revolubile plumbũ
Nititur, & ſpiris throclea verſat onus:
Pondere ab hoc motus; nam dũ vi vertitur axis,
Dentatas cogit mordicus ire rotas:
Morſu illo implicitos, obverſoſque orbibus orbes
Pendula ſuſpenſo examine libra movet,
Æneus hinc monitor turri ſonat, & ſimul horas
Mobilis inſcripto ſingula in orbe notat.

*Hortus.*
*Ex Famiano lib. 2. prol. 3.*

Ex areola, qua inambulabant, proceras admirati platanos ab ſtirpe ad primos uſque ramos hedera ita conveſtitas, ut ſummæ quidem arbores ſuis frondibus, imæ vero alienis virerent. Concedunt in proximum xiſtum, quem gradata hinc buxus, & conciſa in plurimas ſpecies, inde Tarentina myrtus varie tonſa, aliæque retenta manu arbuſculæ belliſſime concludebant. In medio fons æſtuabat intra marmoreũ cratera, è cujus labro caducus, veli inſtar ternuiſſimi expandebatur, demittebaturque in ſubjectam piſcinam: quam circum ſcyphunculi plures expreſſi micabant é ſolo, atque in cratera reciproci miſcebant ſuaviſſimum murmur. Hic in loculamentis trifolio virentibus molliſſimas nacti ſedes, ac pulvinos adverſi conquieſcunt.

*Horti penſiles*, Vide *Penſiles.*

*Hoſtis inſolens.*
*Ex Oratore Gallo.*

Augebat infinite ſuperbiam hoſtium longa belli experientia: quippe qui non ſolum olim ſæpe, modo cũ Anglis, modo cum Batavis, partim cum Hiſpanis, partim cum Luſitanis conflixiſſent; ſed & nuper regis claſſem, tum Oceani, tum Mediterranei maris copiis inſtructiſſimam duobus præliis fortiter ſuſtinuiſſent. Quis in tanto apparatu Rupellæ ſenſus? Eo devenerat impudentiſſima civitas, ut dudum cæteris gentibus cladis metum inferre, regum purpuram, Reges, & oracula conculcare, Reipublicæ ſuccum, & ſanguinem exhaurire, cædes, & incendia circumjectis regionibus, & agris objicere, antiquas Druſiaci prælii, Dionyſiaci, Jarnacenſis, Moncontorſique tragedias renovare facile poterat. Tantum erat in impudentia roboris, tantum virtutis in ſcelere.

*Hyems.*
*Ex Theophylato.*

Præterit Autumnus, & jam Hyems terræ ingruit, mare tranquillitatis fœdera rumpit: navigantes portus quaſi ſoſpitatores amplectuntur, & ruſticus ad focum confugit, & formica in cavernis terræ ſuis laboribus parto victu fruitur.

*Hyems.*
*Ex Virg. 1. Georg.*

Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter ſe læti convivia curant.
Invitat genialis hyems, curaſque reſolvit:
Ceu preſſæ cum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

# I

*Ignis.*
*Ex Anonymo.*

Ignis pyramidis in ſpeciem faſtigiatus ætheræ inhiat ſedi, ſidereo radiat nitore, vi jungit acerrima, & multiplici ſui ſobole fœcũdatur. Excuſſus emicat ſilice, flammis evolat, ſcintillis evaneſcit, prunis vitam traducit diuturniorem: modo vaſtiſſim o erumpens dominatur incendio, modo reſidente obrutus cinere deliteſcit. Idẽ mortalium uſui ancillans non parum, mollit æra, cibos afficit, lenit hyemem, fugat peſtem, purgat ulcera, tenebras avertit: Ad hæc nullo diſcrimine quæque excedit, vorat, abſumit inexaturabili aviditate.

*Ignes nocturni.*
*Ex Famiano lib. 2. proluſ. 6.*

Nox aderat tandem, & Cœlum ex Cyclope diurno
Nocturnus tunc Argus erat: cum Roma feneſtris
Gaudia diſponens velârat tecta domorũ
Torque lucernarum, & collo ſuſpenderat alto
Verſicoloratis contexta monilia flammis:
Quin etiam in trivii Cynici verſatile tectum,
Et veteres Bacchi exuvias damnaverat igni.

*Igneus mons.* Vide *Mons.*
*Imperator.* Vide *Dux.*

*Impietas*
*Ex M. Tullio tom. 1. Verr. 1.*

Veniſſe tempus aiebant, non jam ut commoda ſua, ſed ut vitam, ſalutemque totius provinciæ defenderem, ſeſe jam ne Deos in ſuis urbibus, ad quos confugerent, habere; quod eorum ſimulachra ſanctiſſima C. Verres ex delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet: quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, avaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet, eas omnes ſeſe hoc uno Prætore per triennium pertuliſſe.

*Ex eodem Verr. 6.*

Venio nunc non ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, ſed ad ejuſmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi, atque ineſſe videantur: in quo Dii immortales violati, exiſtimatio, atque authoritas pop. Rom. imminuta, hoſpitium ſpoliatũ, ac proditum, abalienati ſcelere iſtius à nobis omnes reges amiciſſimi, nationeſque, quæ in eorum regno, ac ditione ſunt.

*Ex eodem infra.*

Itaque hoc nefario ſcelere concepto, nihil poſtea tot a in Sicilia, neque ſacri, neque religioſi eſſe duxit: ita ſeſe in ea provincia per trienniũ geſſit, ut ab iſto non ſolum hominibus, verũ etiam Diis immortalibus bellum indictum putaretur.

*Incendium.*
*Ex Q. Curtio lib. 7.*

Tunc undique ignis injectus cuncta comprehendit: flammam in ora hoſtium ventus ferebat: fumus ingens velut quodam nube abſconderat cœlum: ſonabant incendio ſylvæ, atque ea quoque, quæ non incenderat miles, concepto igne proxima quæque adurebant.

*Incendium navis.*
*Ex Famiano lib. 2. proluſ. 3.*

Emicuit

Emicuit illic feralis flamma, magnoque fragore avulſa à ſedibus ſuis tabulata, atque in altum excuſſa, rapuere ſimul eâdem vi ſemiuſta hominum corpora: permiſtaque, & conglobata omnia in aquam decidere miſerabili ſonitu. Cæteri aut colliſi invicem, & conſauciati, aut incenſi, exceptique undis expiravere. Nec ſe intra myoparonem continuit clades: fragmentis hominum, tabularumque ex alto late decidentibus corripuit ignis proxima veſtigia, horæque unius ſpatio, quantum erat toto regno conquiſitum prædæ, conſumptum eſt.

*Ex Virg Æneid. 5.*

Sed non idcirco flammæ, atque incendia vires
Indomitas poſuere; udo ſub robore vivit
Stupa vomens tardum fumum; lentuſque carinas
Eſt vapor, & toto deſcendit corpore peſtis:
Nec vires heroum, infuſaque flumina proſunt.

*Ex Famiano lib. 2. prol. 3.*

Nec plera his, jaculata facem ſtetit. Ilicet arſit
Extemplo fulgur, tonitruque exterrita pinus
Evomuit flammarum undas, & fragmina cœlo
Suſtulit avulſæ disjecta mole carinæ;
Nec vero ſtetit hic ſtrages, ſed tempore eodem
Africus incumbens pelago, tædaſque volantes,
Præcipiteſque globos, & ſaxa reciproca longe
Rettulit, & ſocias ſubeuntes pene carinas
Involvit flammis.

*Incendium in inſula D. Georgii.*

*Ex Anonymo.*

Inſula D. Georgii, quæ una eſt ex inſulis Oceani, quas Tertias vocamus, ætate noſtra horribili terræ motu quaſſata eſt, quo multa ædificia ſolo dejecta ſunt, multi mortales igne conſumpti. Quippe patefacta, erumpente ſpiritu, hiatibus terra, tanta vi ardentia ſaxa ingentis magnitudinis in altum extulit, ut libero cælo paſſim volitantia diſſolverentur. Minores vero lapides igniti velut tormento jaculati in ſublime ferebantur, quantum oculorum acies ſequi poterat. Interdum veluti noctis caligo diem obſcurabat. Formidabiles mugitus, & immania tonitrua mari, terraque audiebantur. Montium fragmina igne correpta per rupium anfractus devoluta quacumque decidiſſent, perfringebant omnia. Teterrimis fumi nubibus flammarum globi intermixti continenter è cavernis terræ erumpentes ita rapide ferebantur, ut quodam in loco decem homines domeſtica ſuppellectile plauſtro impoſita fugientes, una cum bobus, plauſtroque in cinerem momento temporis redegerint, eodemque impetu alios quinque longo intervallo diſſitos abſorbuerunt. Sæpe veluti dolia ſulphureo referta pulvere hinc inde viſa provolvi. Inſuper è multis eructatum hiatibus, & in unum collectum incendium late fluxit, agros, vineta, hortos, & quidquid obvium devaſtavit. Denique poſtquam hæc calamitas aliquandiu graſſata eſt, extincto incendio quievit.

*Inſidiæ vitandæ.*

*Ex M. Tullio tom. 1. Verr. 1.*

Nunquam ille me opprimet conſilio: nunquam ullo artificio pervertet: nunquam ingenio me ſuo labefactare, atque infirmare conabitur, novi omnes hominis petitiones, rationeſque dicendi: ſæpe in iiſdem, ſæpe in contrariis cauſis verſati ſumus; ita contra me ille dicet, quamvis ſit ingenioſus, ut nonnunquam etiam de ſuo ingenio judicium fieri arbitretur.

*Inſula.*

*Ex Maffeo lib. 11.*

Hoc nomine inſula eſt, perexiguo circuitu leucæ ferme unius, anguſto admodum freto a continenti disjuncta: difficili acceſſu, pene undique ſepta præruptis haud modicæ altitudinis rupibus. Ea, quod leucarum octo non amplius trajectu peropportune imminet in urbem Diũ, & circumdato muro inexpugnabilis facile reddi poterat.

*Invidia.*

*Ex Baſilio apud Cauſſinum lib. 11.*

Serpentis eſt documentum invidia, diaboli inventum, inimici ſatio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennã. regni privatio: nam & ipſi fatentur ore hoc vitium invidi: aſpectus illis eſt aridus, & obſcurus, gens ſubtriſtis, ſupercilium demiſſũ.

*Iracundus inſaniens.*

Cum mens inter necis, & decoris timorem dubia quandoque in furorem excandeſcat, atque extra ſe rapi, & præcipitari videatur: totum corpus illico æſtuare, & membra eodem agitata fervere cieri: caput modo attolli, modo deprimi, pedes crebro tellurem quatere, corda turgeſcere, complodi manus, diſtorqueri brachia: vultus non idem, torvus, minax, horridus, truculentus: horreſcunt crines, ſcintillant oculi, ſupercilium contrahitur, labia quatiuntur: color non unus, modo punicat, modo candicat, modo nigricat, modo palleſcit: ſonus horribiliter geminatus; exæſtuante enim ab imis præcordiis ſanguine, crebro, ac vehementius agunt ſuſpiria: coactus, ac ſtridens articulorum ſe ipſos torquentium erumpit ſpiritus, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus: tandem in ore ſpumas agere, dentibus infrendere, clamores inconditos jacere, & omnes, qui circumſident, totius corporis violentia exterrere.

*Iracundus.*

*Ex Arnobio lib. 1.*

Quid eſt aliud iraſci, quam inſanire, quam furere, quam in ultionis libidinem ferri, & alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione debacchari? Quid ergo ſequitur neceſſario; niſi ut ex eorum luminibus ſcintillæ emicent, flammæ æſtuent, anhelum pectus ſpiritum jaciat ex ore, & ex verbis ardentibus labiorum ſiccitas inalbeſcat?

*Iracundus.*

*Ex Seneca phil. lib. 1. de Ira cap. 1.*

Furentium certa indicia ſunt: audax, & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus: flagrant, & micant oculi, horrent, & ſubriguntur capilli; comploſæ ſæpius manus, pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque iræ minas agens, fœdo viſu, & horrenda facie depravantium ſe, & intumeſcentium.

*Iracundus.*

*Ex Virg. Æneid. 12.*

His igitur furiis, totoque ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.

*Iracundus.*

*Ex Perſio ſatyr. 3.*

Nunc face ſuppoſita flaveſcit ſanguis, & ira
Scintillant oculi: dicíſque, faciſque quod ipſe
Non ſani eſſe hominis non ſanus juret Oreſtes.

*Iter difficile.*

*Ex Q. Curt. lib. 4.*

Iter expeditis quoque, & paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terra, cœloque aquarum penuria eſt, ſteriles arenæ jacent: quas ubi vapor Solis accendit, fervida ſolo exurente veſtigia, intolerabilis æſtus exiſtit, luctandumque eſt non tantum cum ardore, & ſiccitate regionis, ſed etiam tenaciſſimo ſabulo, quod præaltum, & veſtigio cedens ægre moliuntur pedes.

*Iter difficile.*

*Ex Statio Theb. 2.*

Fert via per dumos propior, qua calle latenti
Præcelerant, denſæque legunt compendia ſylvæ:
Lecta dolis ſedes, gemini procul urbe malignis
Faucibus urgentur colles, quos umbra ſupremi
Montis, & incurvis claudunt juga frondea ſylvis.

*Judex corruptus.*

*Ex M. Tullio tom. 1. Verr. 4.*

Etenim ſi illud eſt tam flagitioſum (quod mihi omnium rerum turpiſſimum, maximeque nefarium videtur) ob rem judicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem, & religionem: quanto illud flagitioſius, improbius, indignius eum, à quo pecuniã ad abſolvendum acceperis, condemnare, ut ne prædonum quidem Prætor in fide retinenda conſuetudinem conſervet? Scelus eſt accipere à reo, quanto magis ab accuſatore? Quanto etiam ſceleratius ab utroque? Fidem cum propoſuiſſes venalem in provincia, valuit apud te plus is, qui pecuniam maiorem dedit.

*Juvenis* Vide *Ætas hominis.*

# L

*Labyrinthus Ægyptiorum.*

*Ex Strabone lib. 17.*

Ad hæc eſt Labyrinthi fabrica opus haud impar pyramidibus, & adjacens Regis ſepultura ejus, qui labyrinthum conſtruxit: locus eſt in primo foſſæ ingreſſu ad triginta, quadragintave ſtadia præcedenti, eſt planicies quædam menſali forma pagum habens, & multorũ regum Regiam, quot prius præfecturæ erant. Nam totidem aulæ ſunt columnis ambitæ, invicem continuæ, omnes uno ordine, uno pariete, tamquam parvo quodam muro, ante ſe ſitas aulas habent. Viæ vero, quæ ad eas tendunt, ex adverſo ſit ipſius muri, ante ingreſſum cryptæ quædam multæ, ac longæ, quæ inter ſe vias flexuoſas habent, ut nemo peregrinus ingredi aulam ullam poſſit, nec egredi ſine duce.

*Ex Virg. Æneid. 5.*

Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus, & irremeabilis error.

*Leo.*

Quid leone ad aſpectum ſævius, quidve generoſius, quando lenis, & pacatus: toroſo pectore, coronato capite, jubis armos, & colla

colla veſtientibus, regiam ſibi conciliat majeſtatem, quando exacerbatus feroces, & metuendos edit rugitus, truculenta facie, flammiferis oculis, dentium ſerie pectinatim aculeata, ipſiſque unguium harpagonibus terrorem omnibus incutit. Verum in ipſa frementis naturæ pervicacia præcipua nitet generoſitas; proſtratis namque parcit, in viros prius, quam in fæminas, in infantes nequaquam niſi vehementi ſtimulatus fame deſævit.

*Leo.*

*Ex Oppiano apud Cauſſinum lib.* 11.

Leonem ad timorem animantium videtur produxiſſe natura. Cernis, ut flammeo colore rutilus accenditur? ut ſuperbe graditur? Ut vaſta ſe corporis mole efferens præ ſe deſpicit omnia? Quantum eſt, & quam vegetum in hoc pondere robur! quanta in robore alacritas! quantus in ſubſtrictis membris animoſi ſpiritus dominatur vigor! Caput illi amplum majeſtatem feræ præ ſe fert: magni, & lucentes oculi inter villoſa ſupercilia ſcintillant, colla, & armos effuſæ veſtiunt jubæ, magna vis laterum ſpirat, maior pectoris firmitas protuberat, maximus ſævit oris terror, qui totus eſt immani dentium rictu ſeptus. Per rugitum ſigno dato ad pugnam, primum longam, immanem, & viſcoſam caudam explicans, terram plaudit: mox eadem velut voluntario flagello identidem illam diverberans, ad ſummum oculis ejaculatur fulgura, oris profundam voraginem aperit, dentes exerit, in hoſtem ſũma velocitate involat.

*Leo.*

*Ex Virg. Æneid.* 10.

Impaſtus ſtabula alta leo ceu ſæpe peragrans
(Suadet enim vaſana fames) ſi forte fugacem
Conſpexit capream, aut ſurgentem in cornua cervum
Gaudet hians immane, comaſque arrexit, & hæret
Viſceribus ſuper accumbens: lavit improba teter
Ora cruor.—

*Ibidem Æneid.* 12.

—Pœnorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento.

*Leo. Sannazar.* 1. *de partu.*

Et juxta nemorum terror, Rexque ipſe ferarum
Magnanimus nitet ore leo, quem fuſa per armos
Conveſtit juba: pectoribus generoſa ſuperbit
Majeſtas.

*Leo. Ex Statio* 2. *Theb.*

Ut leo, qui campis longe cuſtode fugato
Maſſylas depaſtus oves, ubi ſanguine multo
Luxuriata fames, cervixque, & tabe gravatæ
Conſedere jubæ, mediis in cædibus adſtat
Æger hians, victuſque cibis: nec jam amplius iræ
Crudeſcunt, tantum vacuis ferit aëra malis,
Molliaque ejecta delambit vellera lingua.

*Leo.*

*Ex Silio lib.* 2.

Ceu ſtimulante fame, cum victor ovilia tandem
Faucibus invadit ſiccis leo, mandit hianti
Ore fremens imbelle pecus, patuloque redundat
Gutture ructatus large cruor, incubat atris
Semeſæ ſtragis cumulis: aut murmure anhelo
Infrendens laceros inter ſpatiatur acervos.

*Lilium.*

*Ex Plinio lib.* 2.1 *cap.* 5.

Lilium Roſæ proximum eſt, nec ulli florum excelſitas maior, interdum cubitorum trium, languido ſemper collo, & non ſufficienti capitis oneri. Candor ejus nimius, foliis foris ſtratis, & ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſeſe laxantibus, effigie calathi reſupinis per ambitum labris, tenuique filo, & ſemine ſtantibus in medio croceis.

*Lilium.*

*Ex S. Ambroſ. lib.* 3. *Hexam. cap.* 8.

Conſiderate lilia agri: quantus ſit candor in foliis, quemadmodum ſtipata ipſa folia ab imo ad ſummum videantur aſſurgere, ut ſcyphi exprimant formam, ut auri ſpecies quædã intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu floris obſepta, nulli pateat injuriæ.

*Luctus civitatis pro cive amiſſo.*

*Ex M. Tullio tom.* 3. *pro Milone.*

P. Clodii mortem æquo animo nemo ferre poteſt: luget ſenatus, mœret equeſter ordo, tota civitas confecta ſenio eſt, ſquallent municipia, afflictantur coloniæ, agri denique ipſi tã beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum civem deſiderant.

*Lucus.*

*Ex Q. Curtio lib.* 6.

Arbores denſæ ſunt de induſtria conſitæ, quarum teneros adhuc ramos manu flectunt, quos intortos rurſus inſerunt terræ. Inde velut ex alia radice lætiores virent trunci: hos, qua natura fert, adoleſcere non ſinunt, quippe alium alii quaſi nexu conſerunt: qui ubi multa fronde veſtiti ſunt, operiunt terram. Itaque occulti ramorum velut laquei perpetuo ſæpe iter cludunt.

*Ex eodem lib.* 9.

Sylvæ erant prope in immenſum ſpatium diffuſæ, proceriſque, & in eximiam altitudinem editis arboribus umbroſæ. Plerique rami inſtar ingentium ſtipitum flexi in humũ rurſus, qua ſe curvaverant, erigebantur, adeo ut ſpecies eſſet non rami reſurgentis, ſed arboris ex ſua radice generatæ.

*Lucus. Ex Virg. Æneid.* 8.

Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem
Relligione patrum late ſacer: undique colles
Incluſere cavi; & nigra nemus abiete cingunt.

*Lues.* Vide *Peſtis.*

*Luna.*

*Ex M. Tullio lib.* 2. *de Nat. Deor.*

Luna autem, quæ eſt, ut oſtendunt Mathematici, maior quã dimidia pars terræ, iiſdem ſpatiis vagatur, quibus Sol, ſed tum congrediens cum Sole, tum digrediens, & eam lucem, quam à Sole accipit, mittit in terras, & varia ipſa mutationes lucis habet: atque ſubjecta, & oppoſita Soli, radios ejus, & lumen obſcurat, tum ipſa incidens in umbram terræ, cum eſt é regione Solis, interpoſitu, interjectuque terræ repente deficit.

*Luna index temporum.*

*Ex Virg.* 1. *Georg.*

Luna revertentes cum primum colligit ignes;
Si nigrum obſcuro comprehenderit aëra cornu,
Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber:
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu quarto (namque hic certiſſimus author)
Pura, nec obtuſis per cœlum cornibus ibit,
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem pluvia, ventiſque carebunt.

*Lupus. Ex Virg. Æneid.* 9.

At veluti pleno lupus inſidiatus ovili,
Cum fremit ad caulas ventos perpeſſus, & imbres
Nocte ſuper media, tuti ſub matribus hœdi
Balatum exercent; ille aſper, & improbus ira
Sævit in abſentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.

*Lupus. Ex Statio* 4. *Theb.*

Ille velut pecoris lupus expugnator opimi
Pectora tabenti ſanie gravis, hirtaque ſetis
Ora cruentata deformis hiantia lana,
Decedit ſtabulis huc illuc turbida verſans
Lumina, ſi duri comperta clade ſequantur
Paſtores, magnique fugit non inſcius auſi.

*Luſciniæ cantus.*

*Ex Plinio lib.* 10. *cap.* 39.

Primum tanta vox tam parvo in corpuſculo. Deinde in una perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus: & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur revocato, infuſcatur ex inopinato, interdum & ſecum ipſe murmurat, plenus, gravis, acutus, creber, extentus: ubi viſum eſt, vibrans, ſummus, medius, imus. Breviterque omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarũ tormentis ars hominũ excogitavit.

*Luſcinia Ex Cauſſino lib.* 11.

Luſciniam unam ex avibus maxime ſolent ii, qui naturas animalium ſcribunt, admirari, quod in tam parvo corpuſculo, tam clara, tam ſuavis, tã magna, tam jucunda vox inveniatur, quod verno tempore, cũ frondeſcere arbores incipiunt, diebus, ac noctibus perpetuis, ſine ulla intermiſſione canere ſoleat. Unde enim in avicula tã pertinax ſpiritus? Unde vis illa continendæ animæ, in canendo tanta, & una continuatione cantionis, vivæ contentiones vocis, & remiſſiones contineantur? Unde tã artificioſa, tamque perfecta muſicæ ſcientia, tã ingenioſa modulatio, tam gratus auribus ſonus, qui modo in longũ continuo ſpiritu trahatur, modo ſumma quadam cũ varietate flectatur, nunc conciſa voce diſtinguatur, nunc cintoria copuletur? Quid plura! Jam parvulis in faucibus omnia, quæ tanto labore, tanta induſtria, tanto ſtudio, tot inventis inſtrumentis genera cantionũ, ars hominum excogitavit, integra, atque perfecta reperiuntur.

*Luſcinia.*

*Ex Virg. 4. Georg.*

Qualis populea mœrens philomela ſub umbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator
Obſervans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mœſtis late loca queſtibus implet.

# M

*Machina in mari.*

*Ex Oratore Gallo.*

Non ſatis erat claſſibus inſultaſſe, niſi inſuper inſultaſſet Oceano: machinatus eſt igitur aliquid, quod homines ſatis mirari non poſſent, ipſa maria pertimeſcerent. Intelligitis, quo mea ſpectet oratio, jamque ſuſpicitis ædificatum in æquore vallum illud, carceribus frænatos impetus indomiti hactenus pelagi, ne rebelles a jugo ſe liberos fore putarent, ubi mare libertatem amitteret. Jacienda moles erat, quæ totum ſuſtineret Oceanum, nec ventorum quaſſata turbinibus, nec fluctuum aſſultibus verberata, nec æſtus inundationibus ſuperfuſa, obrutaque titubaret: Mare impatiens operis videbatur, niſi immenſi operis patientia victũ eſſet.

*Maledicus calumniator.*

*Ex Famiano lib. 1. proluſ. 4.*

Quod ſi ad hunc modũ hoc genus homines in verba projecti, quippe per hæc turbamenta vulgi privatæ ambitioni viam ſternũt, ſerio cogerentur, ut aut maledictis abſtinerent, niſi de aliorum vita conticeſcerent, aut ſi tantum vitiorũ eſt odium, legitime id a jure tranſigerent, multo ſane pauciores forent, qui malignitate ingenii tam facile everterent alienam famam.

*Mare.*

*Ex M. Tullio lib. 2. de Nat. Deor.*

At vero quanta maris eſt pulchritudo, quæ ſpecies univerſi, quæ multitudo, & varietas inſularum, quæ amœnitates orarum, & littorum: quot genera, quamque diſparia, partim ſubmerſarum, partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad ſaxa nativis tectis inhærentium? Ipſum autem mare, ſic terrã appetens, littoribus clauditur, ut una ex duabus naturis conflata videatur.

*Mare.*

*Ex Conimb. lib. 2. Phyſ. cap 9. q. 1.*

Idem rurſus probat Oceani immenſitas, tam pulchra ad aſpectum, tam fœta ad procreandam ſobolem, tot piſcium, & innatantium belluarum copia abundans: & in eo non minus admiranda, quod dũ ejus fluctus, ſive quotidianis reciprocationibus, ſive tempeſtatum vi ad arenam feruntur, intra præfixos limites ſeſe continent, quaſi ſcriptam ſibi legem in littore pertimeſcant, atque inſtar indomiti equi, qui à ſeſſore habenis retractus collum flectit, refugiunt.

*Maris perfidia.*

Maxima projectus fuit audacia, qui vidit ſiccis oculis mare turbatum procellis, neque exhorruit ſcopulos, ad quos illiſæ naves ſæpius franguntur, atque ob id infames, quod laborent perfidia, dũ ſub undis deliteſcentes, exorta ſubito tempeſtate, navibus inſidiantur. Nullam ſervare nautis fidem mare, nullam etiam portum ipſum cecinit Propertius.

Ventorum eſt, quodcunque paras, non ulla carina
Conſonuit, fallit portus & ipſe fidem.

In quam ſententiam olim, cum adhuc eſſem rhetoricæ auditor, concinnavi ſubſequens poema, quo in publico certamine primam palmam obtinui.

O qui cæruleum ſulcatis puppibus æquor,
Accipite hæc animo. Ne vos tam dira quietos
Sollicitet, vaſtumque cava trabe currere pontum
Cogat avarities: tumidoſne invertere fluctus
Fallacis libet Oceani? Quid credere monſtro
Huic vitamque, necemque juvat? Labor occupat ingens
Oceanum, & ſemper dubiis mors errat in undis,
Aut dolor, aut certus lethi timor: ipſa minantur
Sæpe aſtra exitium: curvato gurgite navis
Tollitur in cœlum, ſaxoque alliſa repente
Frangitur, aut ſcopulis in procurrentibus hæret,
Nuſquam tuta fides pelago: ſæpe æquor avaros,
Aut ſidus regione viæ, littuſve fefellit:
Sæpe latent placidis immania fata ſub undis,
Aut aliquis latet error; aquis ne credite merces.
Non vos divitias, ignoti aut quæritis auri
Pondus, & argenti penitus defoſſa talenta,
Vaditis haud dubium in lethum, mediamque tenetis
Mortis iter, quæretque ſibi certum ipſa carina
Exitium, & vaſto tumulabitur æquore; avari
Sedibus his tandem, data piſcibus eſca, jacebunt.

Omitto reliqua

*Memoria.*

*Ex Famiano lib. 1. proluſ. 2.*

Memoria præ aliis valet orator, & ea gloriatur tanquam excellenti vitæ bono, tanquam theſauro, & penu diſciplinarum, germana litteraturæ, Muſarum parente, altrice ſapientiæ, inſigni demum argumento divinitatis. Quid enim poteſt eſſe, aut excogitari præſtantius, quam eam ex parte in animo capacitatẽ, quam immenſa rerũ aliarum aliis quotidie accidentium congeries non modo non exæquet, non expleat, non cumulet, ſed dilatet etiam, laxetque, ac fundat amplius, novoſque ſemper ſinus, ac receſſus intus late lacunoſos aperiat? quid admirabilius, quam rerum, verborumque multitudinem forma variam, ſenſu diſcrepantem, numero infinitam, iis loci anguſtiis ita non confuſe, ac permixte, ſed diſtincte, electeque conſervari, ut quaſi diſcreto, deſcriptoque in capita, ſeu familias populo, in fronte domus domini titulum legere, indeque habitatorem evocare, aut gentem univerſam recenſere facile poſſis.

*Metus ingens.* Vide *Terror, & Timor.*

*Miles jactabundus.*

*Ex Famiano lib. 3. prol. 3.*

Exponã genium, & ingenium bellatoris magnifici, & gloriarum pleni, qui rerum, quæ ſunt, quæque non ſunt, centones ſarciat, qui ſe hac, atque illac quaſi pompam pancratice, atque athletice præterducat: qui ſe omnibus faciat ferocem, nullique niſi vulnera, ac cædem debeat: qui ſe urbi captum Martis nepotem, regumque occiſorem dici velit: qui machæram futura hoſtium ſtrage conſoletur: qui hominum animas exorbeat, legiones hoſtiles aſpectu territet, occurſu fuget, ſpiritu difflet quaſi ventus folia.

*Milites ornati veſtibus.*

*Ex Oratore Gallo.*

Quid quod totum exercitum concolori veſte donavit, ut qui corporis cultu ſimiles eſſent, ſolo animorum ornatu diſtinguerentur, & quantum alii bombyce, & purpura nitere amant, tantum ipſi virtute cæteris eminerent. Ibant olim milites in aurea veſte ſub Antiocho, in picta chlamyde ſub Sertorio, in purpura ſub Cleomene, in rubente ſago ſub Artaxerxe, in candenti tunica ſub Cyro, in ſcuto puniceo ſub Ageſilao, in fibulatis auro caligis ſub Aureliano, in amictu argentea cruce ſignato ſub Conſtantino. Gerunt noſtri ſub Ludovico in veſte non ad delicias molli, non ad pompam ambitioſa, ſed ad militare robur, & pugnam accincta: non auro miles indiget, bellum ardore geritur, non nitore.

*Miſeria mortalium.*

*Ex M. Tullio tom. 1. pro Sex. Roſcio*

Etenim tam eſt commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis. Ita vivunt, dum poſſunt, ut eorum oſſa terra non tangat: ita jactantur, ut nunquam abluantur: ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidẽ mortui conquieſcant.

Vide *Calamitas*

*Mœror.* Vide *Triſtitia.*

*Mollis, & delicatus.*

*Ex M. Tullio tom. 1. Verr. 5.*

Ita vivebat iſte bonus imperator, ut ne eum facile hybernis menſibus non modo extra tectum, ſed nec extra lectum quidẽ quiſquam videret. Ita diei brevitas conviviis, noctiſque longitudo ſtupris, & flagitiis conterebatur. Cum autem ver eſſe cæperat, cujus initium iſte non à Favonio, neque ab aliquo aſtro notabat, ſed cum roſam videret, tunc incipere ver arbitrabatur, dabat ſe labori, atque itineribus, in quibus uſque eo ſe præbebat patientem, atque impigrũ, ut eum nemo unquam in equo ſedentem videret. Nam ut mos fuit Bithyniæ regibus, lectica hexaphora ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus, Melitenſi roſa fartus: ipſe autem coronam habebat unam in capite, alterã in collo, reticulumque ad nares ſibi admovebat tenuiſſimo lino, minutiſque maculis plenum, &c.

Vide *Pulcher, Blandus.*

*Mons amænus.*

Quid vel ad aſpectum ſublimius, vel ad animi voluptatem indulgentius, vel ad capiendum ſomnum, & æſtivum depellendum calorem hoſpitalius, monte uſque ad ſidera faſtigiato, dẽſiſque arboribus ad radices veſtito? Superiora exaſperant rupes, minanteſque cœlo turbinant ſcopuli, è quorũ jugis ad ſubjectos vallium anfractus, & vaſta maris, ac terrarum ſpatia liberrimus patet proſpectus. Inferiora condenſant arbores, & veſtiunt nemora, quæ è ſupinis verticibus derivatas fontiũ ſcaturigines excipiunt, interque gelidos amniũ liquores frondẽtiũ ramorum tegmina, & iteratas aviculatũ cantilenas hilarantur.

*Mons. Ex Barclao lib. 1.*

Epeircte in Panormitanorum finibus mons eſt, aliquot milliũ ambitum amplexus. Imæ radices abſciſſis præruptis rupibus attolluntur

attolluntur: mox ubi per inacceſſas cautes mons in modicum tumorem excrevit, paulatim faciliora latera acclinat, donec ad verticem pervenias haud modica planitie æquatum: in qua & tumulus commode eminet, tanquã a natura producta in arcem. Illud jugum munitionibus Reges firmaverant: reliquus montis vertex juſto oppido, ſparſiſque præterea, & amœnis ædificiis incolebatur.

*Mons Atlas. Ex Virg. Æneid. 4.*

— Jamque volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit:
Atlantis cinctum aſſidue cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulſatur, & imbri.
Nix humeros infuſa tegit, tum flumina mento
Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.

*Ex Ovid. 4. Met.*

Quantus erat mons factus Atlas: jam barba, comæque
In ſylvas abeunt, juga ſunt humerique, manuſque:
Quod caput ante fuit, ſummo eſt in monte cacumen,
Oſſa lapis fiunt: tum partes altus in omnes
Crevit, & immenſum: ſic Dii voluiſtis, & omne
Cum tot ſideribus cœlum requievit in illo.

*Ex Silio lib. 1.*

Nec patitur nomen proferri longius Atlas:
Atlas ſubducto tracturus vertice cœlum.
Sidera nubiferum fulcit caput, æthereaſque
Erigit æternum compages ardua cervix:
Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris
Pinea ſylva premit, vaſtant cava tempora venti,
Nimboſoque fluunt ſpumantia flumina rictu.

*Mons igneus. Ex Maffeio lib. 5.*

Sed præcipua in camino Terratenſi nobilitas. Mons in nubes aſſurgit excelſus, & arduus: cujus inferiora denſis nemoribus veſtiuntur: ſuperiora ex incendiis glabra, & horrida ſunt. In vertice crater, hiatu vaſto, in plures circulos circumductos maiores minoribus, ad ſpeciem amphitheatri diſcedit. Inde per æquinoctia maxime, certis flantibus ventis, cum horriſono fremitu flammæ atro mixtæ fumo, & favillis erumpunt, & omnia late loca cineribus complent.

*Mons Ætna. Ex Solino cap. 11.*

In Ætnæ vertice hiatus duo ſunt, crateres nominati, per quos eructatus erumpit vapor, præmiſſo prius fremitu, qui per æſtuantes cavernarum latebras longo mugitu intra terræ viſcera diu volvitur: nec ante ſe flammarum globi attollunt, quam interni ſtrepitus antecedant. Mirum hoc, maius illud, quod in illa ferventis naturæ pervicacia mixtas ignibus nives profert: & licet vaſtis exundet incendiis, apicis canitie perpetua brumalem detinet faciem: itaque invicta in utroque violentia, nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore diſſolvitur.

*Ex Virg. Æneid. 3,*

Portus ab acceſſu ventorum immotus, & ingens
Ipſe, ſed horrificis juxta tonat Ætna ruinis:
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente favilla,
Attollitque globos flammarum, & ſidera lambit.
Interdum ſcopulos, avulsaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæſtuat imo.

*Ex Claudiano 1. de rap.*

Sed quamvis nimio fervens exuberet æſtu,
Scit nivibus ſervare fidem, pariterque favillis
Dureſcit glacies tanti ſecura vaporis
Arcano defenſa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma favillas.

*Montes Alpes.*

*Ex T. Livio lib 1. Dec. 3.*

Ex propinquo viſa montium altitudo, niveſque cœlo prope immixtæ, tecta informia impoſita rupibus. pecora, jumentaque torrida frigore, homines intonſi, & inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu, cætera viſu, quam dictu fœdiora terrorẽ renovavere. Erigentibus in primos agmen clivos apparuerunt imminentes tumulos inſidentes montani, qui ſi valles occultiores inſediſſent, coorti in pugnam repente ingentem fugam, ſtragemque dediſſent.

*Moriens homo.*

*Ex Anonymo*

Paulatim deficit ſpiritus, oculi obruuntur, digiti, manuſque frigeſcunt, attenuantur nares, genæ deprimuntur, pallor toto ore ſuffunditur. ſpumant labra, anhelat pectus, videndi, & audiendi facultate ſpiritus deſtituitur; ſudor emanat, interruptis, & morientibus vocibus amicos compellat; è corporis tandem carcere ſolutus ultimum vale inclamat, & ad ſuperorum evolat cœlum.

*Mors.*

Quam torva, mæſta, & horribilis ſit mortis natura, quam projecta illius audacia, quam effrænis impetus, quam præceps licentia, quam truculenta rabies, quam iracunda ſævitia: qua violentia inſoleſcat, qua ſuperbia proſiliat, qua improbitate in viros, fœminas, ſenes, ac juvenes nullo ſexus, ætatiſve diſcrimine debacchetur, ex eo præcipue manifeſtum eſt, quod ubi acerba illius recordatio mentem ſubit, adeo frangit animum, eumque dira ſolicitudine, & atra caligine obruit, ut confeſtim ex oppreſſo corde quaſi ex tumultuante Oceano in manus, vultum, ac univerſum corpus indubitati mœroris indicia emergant. Frons obducitur, oris candor, & genarum rubor extinguitur, omniſque vultus ſpecies quaſi atra circumfuſa caligine obnubilatur.

*Mors multiplex.*

Neque minus aſpera & truculenta cuiquam videbitur lethi facies, ſi oculos conjecerit in tot mortis genera, atque diſcrimina. Quidam enim primo juventutis erepti flore aut flammis corripiuntur, aut fluctibus abſorbentur, aut è rupibus præcipitantur; quidam vel mucronibus ſpiculorum, aut gladiorum confixi agunt animas, vel unguibus belluarum dilaniantur, vel domorum caſu, aut devolventibus ſeſe rupibus obruuntur. Quid ſi eam violentiã, & varietatem morborum, quibus miſeri homines intereunt, vellem commemorare? Alii immaniſſimis cruciati doloribus, alii letheo conſepulti veterno, alii multiplici infinitarum febrium ardore, ſerpente indies contagio, ac putreſcentibus humoribus contabeſcunt.

*Mors multiplex. Ex Statio lib. 2. Sylva 1.*

Nam populos mortale genus, plebiſque caducæ
Quis fleat interitus? Hos bella, hos æquora poſcunt;
His amor exitio, furor his, & ſæva cupido.
Ut ſileam morbos, hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido lethalis Sirius igni:
Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu,
Quidquid habent ortus, finem timet: ibimus omnes,
Ibimus, immenſiſque urnam quatit Æacus umbris.

*Mors frequens in urbe obſeſſa.*

*Ex Oratore Gallo.*

Ipſa mors viſa eſt laboraſſe fame, ita ventre inſaturabili omnes helluabatur in urbe: funeribus funera cumulabantur: mors deſierat eſſe terrori civibus, quam uſu quotidiano, domeſtica conſuetudine familiarem habebant. Timore ſublato deſperatio ſuccedebat: calcabantur temere, & ſine horrore mortuorum acervi: non lugebant aliorum mortem, qui ſuam expectabant: nihil filius patris obitu movebatur, quia naturam fortuna mutaverat. Unũ omnium votum perire cito: metus longius vivere; ſolatium, quãplurimos ſocios mali futuros. Projecta jacebant interea in ſepulchralibus ipſis ſine ſepulchro cadavera, & è nudo homine nuda oſſa volvebantur; cœlo tegebantur corpora, quorum animæ apud inferos flammabantur; domus in ſepulchra tranſierant, tamen erant omnes inſepulti; nulli, qui efferrent, aderant, ſoli occurrebant, qui efferrentur; hæredes morientibus nulli, nihil ipſis etiam vermibus jure funerum relinquebatur, qui bonis ſuccederet, nullus erat, malis univerſi ſuccedebant.

*Mors pro patria. Ex M. Tullio tom. 3. pro Seſtio.*

An erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disjunctione, tanta acerbitate, tanta ſpoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat, vita retinenda? Tam erã rudis, tam ignarus rerum? Tam expers conſilii, aut ingenii? Nihil audieram? Nihil videram? Nihil ipſe legendo, quærendoque cognoveram? Neſciebam vitæ brevem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum? Cum eſſet omnibus definita mors, optandũ eſſe, ut vita, quæ neceſſitati debetur, patriæ potius donata, quam reſervata naturæ videretur? Neſciebam inter ſapientiſſimos homines hanc contentionem fuiſſe, ut alii dicerent animos hominum, ſenſuſque morte reſtringi, alii autem tum maxime mentes ſapientium, ac fortium virorum, cum è corpore exceſſiſſent, ſentire, ac vigere? Quorum alterum fugiendum non eſſe, carere ſenſu: alterum etiam optandũ, meliore eſſe ſenſu.

*Ex Eodem Philip. 14.*

O fortunata mors, quæ naturæ debita pro patria eſt potiſſimum reddita. Vos vere patriæ natos judico, quorum etiã nomen á Marte eſt: ut idem Deus, urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuiſſe videatur. Illi impii, quos cecidiſtis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent: vos, qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis, piorum eſtis ſedem, & locum conſecuti. Brevis autem vobis vita data eſt, at memoria bene redditæ vitæ ſempiterna: quæ ſi non eſſet longior, quam hæc vita, quis eſſet tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad ſummam laudem, gloriamque contenderet.

*Morum depravatorum ſimilitudo.*
*Ex M. Tullio tom. 1. Verr. 5.*

Vetris mores improbos, impuroſque noſtis: fingite vobis, ſi poteſtis, aliquem, qui in omnibus rebus iſtis par ad omnium flagitiorum nefarias libidines eſſe poſſit: is erat Apronius ille, qui, ut ipſe non ſolum vita, ſed etiam corpore, atque ore ſignificat, immenſa aliqua vorago eſt, aut gurges vitiorum, turpitudinumque omnium: hunc in omnibus ſtudioſis, in fanorum expilationibus, in impuris conviviis principem adhibebat: tantamque habebat morum ſimilitudo conjunctionem, atque concordiam, ut Apronius, qui aliis inhumanus, ac barbarus, iſti uni commodus, ac diſertus videretur.

*Muri Sinarum. Ex Maffeio lib. 6.*

Ipſorum præcipue pulchritudo mira; mœnibus cinguntur quadrati ab imo lapidis, lateritiæ ad ſummum ſtructuræ. Lateres autem ex eodem argillæ genere, quo porcellam vaſa, confecti, & calce optima interliti, in eam duritiem, ac firmitatem brevi tempore coaleſcunt, ut ferramentis poſtmodum labefactari vix poſſint. Craſſitudo mœnium quatuor, & alicubi ſex capit homines, additis ad proſpectum pergulis, ac mœnibus, & occultis ambulationibus, qua profecti oblectationis cauſa pererrent: pomœrium intra, extraque circuitum ſpatio ſenis in ordinem equitibus patet. Ad obliquos autem ictus modico intervallo turres, & propugnacula prominent, artificioſis contecta faſtigiis, & podiis elegantibus adornata. Ex iis mœnibus, cum quædam ante his mille annos conſtet extructa, nullam tamen in eis rimam, aut ſignum, aut labem aſpicias. Adeo ſevere, acriterque ſarta tecta a regiis curatoribus exiguntur.

*Muſica, & Poeſis. Ex Famiano lib. 2. prol. 5.*

In muſicis (ne longius a muſis abeamus) in cantu vocum, atque nervo om faſtidit hæc ætas noſtra, quem tamen ſuperior quæſivit, concentum ſtabilem, & gravem, plenumque authoritatis. Modulos neſcio, quos amamus, & frequentamenta, quibus concidatur minutim cantus, fractuſque diſtillat, ac plena illa, ac ſonora vocum vis, ac poteſtas enervetur: revocati, promiſſique ex inſperato numeri, colliſi durius ſoni, ſuſpenſa illico vox, & ubi minime expectes, amputata, artis hodie medullæ ſunt, plauſuque multitudinis conſequuntur. An non hæc eadem in poeſi perverſitas? Satietas jam nos ſolidæ ſuavitatis cepit: delicias é ſucco quærimus. Vibratæ aliquot ſententiolæ, dicta punctim aculeata, inæqualium mortiunculæ numerorum: hæc languentem plerumque guttum irritant, oſcitantique hujus ſæculi palato apprime ſapiunt. Cum interim digna illa Muſarum ſpecies, æquabiliſque numerorum volubilitas, ac nativi carminis mollitudo præ iſtis argutiarũ præſtigiis facile contemnatur.

*Mutabilitas rerum.*
*Ex Valerio Maximo lib. 6. c. ult.*

Caduca nimium, & fragilia, puerilibuſque conſentanea crepũdiis ſunt iſta, quæ vires, atque opes humanæ vocantur: affluunt ſubito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt, ſed incertiſſimo flatu fortunæ huc, atque illuc acta, quos ſublime extulerunt, improviſo recurſu deſtitutos in profunda cladium miſerabiliter immergunt: itaque neque debent exiſtimari, nec dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem duplicant.

# N

*Nanus.* Vide *homo puſillus.*

*Navis. Ex Maffeio lib. 11.*

Ab ima carina ad ſummam navis oram contignationes quatuor, vel quinque attolluntur. In infima nautici ſaburram ad æquilibrium ſternunt: in cæteris tormenta conſtituunt, vaſa diſponunt, mercimonia, capſaſque conſtipant. Vectoribus admodũ exigua ſub iis tectis agendi ſpatia relinquuntur. A prora, puppique gemina ſurgunt caſtella, in horum utroque, & ſimul ad gubernaculũ ligneas caſulas, ac tuguriola fabri concinnant: haſce, qui ſunt pecunioſi, magno in breve tempus conducunt pretio. Cætera turba, ni ſæviant venti, prout cuique datur, ſub dio anguſtiis cubãt.

*Naumachia.*

Si campeſtris pugnæ horrida facies, navale prælĩũ non minorẽ incutit pavorem: vel cũ naves intra teli, tormentive jactũ ſubſiſtũt, ac deinde ſagittarum, & quorũvis miſſilium procella æthera inumbrat, aut crebris hinc inde fulgetris horribili cũ ſtrepitu radiantibus omniũ generum uſquequaque tela volitant, deſtinatoque utrinque vulnere maiores globi contorquentur: namque laxatis compaginibus, partim avulſa à ſuis ſedibus tabulata ingenti ſonitu præcipitant, partim deſilientibus undique fragmẽtis conſauciati, permulti in pelago demerguntur; vel jam navibus ferro obunco comprehenſis, milites diſtringunt gladios, remque gerunt cominus crebris punctim, cæſimque vulneribus: interim ſulphureo pulvere ardentes fideliæ conjiciuntur, omniſque ferrea fiſtula, & tormentum diſploditur: denique perforantur naves, occumbunt milites, omnia ſpumant ſanguine, & cadaveribus replentur.

Vide *Pugna navalis.*

*Nemus.* Vide *Lucus.*

*Nox Ex Anonymo.*

Nox certis diſcreta ſpatiis ſub Solis fugam obumbrat terrarũ tractus, offundit caliginem, eripit ſolaris uſuram lucis, facemque Solis æmulam ſtellantis cœli facultas officioſa pandit. Amica nox mortalibus feſſos levat artus, languidos ſopore recreat, viros ad lecti toros, ad foveas cœtus ferarum cogit, aviculas ad nidos invitat: forenſem ſedat clamorem, facto omnium ſilentio naturã ſepelit, donec mutuæ alternantis diei vices amicum terris jubar orbi reducant geſtienti.

*Nox.*
*Ex Virg. Æneid 4.*

Nox erat, & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſylvæque, & ſæva quiêrant
Æquora, quum medio volvuntur ſydera lapſu,
Quum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aſpera dumis
Rura tenent, ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

*Nox.*
*Ex Sannazario lib. 1. de partu.*

Tempus erat, quo nox tardis invecta quadrigis
Nondum ſtelliferi mediam pervenit olympi
Ad metam, & tacito ſcintillant ſydera motu:
Cum ſylvæque, urbeſque ſilent: cum feſſa labore
Accipiunt placidos mortalia pectora ſomnos.

*Nox.*
*Ex Statio Theb. 4.*

Jamque per emeriti ſurgens confinia Phœbi
Titanis late mundo ſubjecta ſilenti
Rorifera gelidum tenuaverat aëra biga:
Jam pecudes, volucreſque tacent: jam ſomnus avaris
Irrepſit curis, pronuſque per aëra nutat.

*Nox.*
*Ex Ovid. 4. Faſt.*

Jam color unus ineſt rebus; tenebriſque teguntur
Omnia, jam vigiles conticuere canes.

# O

*Obſeſſio civitatis.*
*Ex Oratore Gallo.*

Interea, dum veſtem militarem contemplamur, nudata eſt ſuis arboribus, vitibus, hortis, ſegete, ſepibus tota, quæ ad Rupellam eſt planities, diſtributus in claſſes, & manipulos exercitus, defixa ſigna, obtentæ pelles, ſubſtructa longo ambitu propugnacula duodecim inter ſe foſſis continuata: diſpoſitæ ex intervallo vigilibus, & excubitoribus ſtationes deſcriptione multiplici, rotundæ, quadratæ, extantes, depreſſæ, projectæ, ſubductæ, lunatæ, cyclicæ, hemicyclicæ, triquetræ, quadrangulares, variæ: perduellis denique civitas omni à terra aditu prohibetur: cavendum eſt tantum, ne evadat Oceano. Vide *Oppugnatio.*

*Obſeſſæ civitatis calamitas.*
*Ex eodem.*

In obſeſſa civitate nihil tam præſens, quam fatum, nihil tã remotum erat: longa tabe longiora crimina multabantur: vita trahebatur ambage malorũ, & multiplicatis funeribus, multiplicabatur in pœnam: mors denique cũ vita conſenſerat, illa, ut votum, hæc, ut ſuppliciũ fieret. Tam miſere hæretici vivunt, tã ægre rebelles intereunt. Reptabant in compitis homines ſtrigoſi, macilenti, capulares, ſine carne pelles, exanguia ſilicernia, tenues umbræ, imitationes vivorum, pallida mortis exordia, inanes corporum folles, oſſiũ male congeſta compago, continuati oſſibus nervi, vacui ventres, & queruli, viri non jam viri, ſed ferales hominum larvæ. Male ominoſus erat occurſus civium, creſcebat mutuo aſpectu calamitas, dum quiſque legit in alterius fronte exaratam capitis ſui ſententiam.

*Occaſio.*
*Ex Maffeio lib. 7.*

Magno ſuo dolore denique ſenſit, quam fugacia ſunt occaſionum momenta, & quam irrevocabilis rerũ bene gerendarum prætervolitet opportunitas.

*Occaſionis effigies.*
*Ex Caliſtrato apud Cauſinum lib. 11.*

Cæcus autẽ puer erat pubeſcens, & ipſo pubertatis flore, qui ſe vernantibus membris attulerat, gratiſſimus. Magna erat imprimis vultus dignitate, lanuginẽ quatiens, & cincinnos, quos Favonio, quocũque vellet, agitandos permiſerat. Ad hæc florido nitebat colore, veluti quibuſdã corporis fulgetris vernãtes roſas explicaret;

eratque Dionyſio maxima ex parte perſimilis: at enim frons gratiis emicabat, genæ regii floris inſtar rubentes juvenili decore fulgebant, ipſius oculis gratiſſima quadam face ruboris accenſis. Stabat autem in globo ſumma pedum planta inſiſtens, qua & pinnis volucer exilire prope videbatur: capillus non more ſolito creverat, verum coma contra ſupercilia repens ad genas cincinnum effuderat, occiput vero capillorum nexibus liberum rariſſimos tantum pilos à primo ortu inſitos oſtendebat.

*Occaſionis effigies.*

*Ex Auſonio.*

Cujus opus? Phidiæ. qui ſignum Pallados, ejus
 Quique Jovem fecit, tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quæ rara, & paucis Occaſio nota.
 Quid rotulæ inſiſtis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris ſum: Mercurius quæ
 Fortunare ſolet, tardo ego quum volui.
Crine tegis faciem? cognoſci nolo. Sed, heus, tu
 Occipite calvo es? Ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes? Dicat tibi. Dic, rogo, quæ ſis?
Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
 Nempe ut pœniteat, ſic Metanœa vocor.
Tu modo dic, quid agat tecum? Si quando volavi,
 Hæc manet, hanc retinent, quos ego præterii.
Tu quoque dum rogitas dum percontando moraris,
 Elapſam dices me tibi de manibus.

*Oceanus*. Vide *Mare*.

*Oculi.*

*Ex M. Tullio lib. 2. de Nat. Deor.*

Senſus interpretes, ac nuncii rerum in capite tamquam in arce, mirifice ad uſus neceſſarios & facti, & collati ſunt; tamquam ſpeculatores locum altiſſimum obtinent, ex quo plurima conſpicientes ſuo fungantur munere: quis vero opifex præter naturam, qua nihil poteſt eſſe callidius, tantam ſolertiam perſequi potuiſſet in ſenſibus? Quæ primum oculos membranis tenuiſſimis veſtivit, & ſepſit, quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni poſſet: firmas autem, ut continerentur: ſed lubricos oculos fecit, & mobiles, ut declinarent, ſi quid noceret, & aſpectum, quo vellent, facile converterent; aciesque ipſa, qua cernimus, quæ pupilla vocatur, ita parva eſt, ut ea, quæ nocere poſſunt, facile vitet, palpebræque, quæ ſunt tegumenta oculorum, molliſſimæ tactu, ne læderent aciem, aptiſſimæ factæ ad claudendas pupillas, nequid incideret, & aperiendas: idque providit, ut identidem fieri poſſet cum maxima celeritate. Munitæque ſunt palpebræ, tamquam vallo pilorum, quibus, & apertis oculis, ſi quid incideret, repelleretur, & ſomno, conniventibus cum oculis, ad decernendum non egeremus, ut qui tamquam involuti quieſcerent.

Latent præterea utiliter, & excelſis partibus undique ſepiuntur: primum enim ſuperiora ſuperciliis obducta ſudorem a capite, & fronte defluentem repellunt: genæ deinde ab inferiore parte tutantur ſubjectæ, leniterque eminentes: naſus ita locatus eſt, ut quaſi murus oculis interjectus eſſe videatur.

*Oculi indices animi.*

Quid de oculorum indiciis commemorem? Mirantur, adamãt, concupiſcunt; amoris, iracundiæ, furoris, lenitatis indices ſunt; in audacia proſiliunt, in odio efferantur, in furore ſcintillant, in amore blandiuntur, in lætitia geſtiunt, in mœrore langueſcunt, in iracundia exaſperantur: unde tot uſus, tot nomina: ſi mẽs in furorem excandeſcat, horridi, torvi, minaces, truculenti: ſi jucunditate perfundatur, hilares, faciles, petulantes; ſi dolore exagitetur, turgidi, retorti, tranſverſi; ſi alicujus tangatur reverentia, dejecti, ſubmiſſi, compoſiti, ut alter animus videatur.

*Oculorum fabrica.*

*Ex Conimb. 2. de Anima c. 7. q. 6.*

Conſtant oculi ſeptem muſculis motoribus: tunicis quinque, etſi alii hæc ſecus numerent, tribus humoribus, duobus nervis. Muſculi dati eis á natura ſunt, ut globum ad aſpectum facile convertant, & quibus unus ſurſum, alter deorſum, duo ad dextram, lævamque trahunt: alii duo circumferunt, ſeptimus ſuſtinet, illigatque. Ex tunicis intima vocatur ſpecularis, quia ut ſpeculum nitet, & tranſlucet. Huic proxima reticularis nuncupatur, quia venulis multis, & arteriis intexta retis effigiem exhibet. Tertia uvea, quia ſimilis eſt uvæ folliculo, á quo pedunculum detraxeris. Quarta cornea, quia cornu in laminas tenuiſſimas ſectum refert, & ſplendida, ac diaphana eſt. Quinta adnata, ſive adhæreſcens, quia ejus beneficio undique totus oculus conſiſtit, & ſibi cohæret. Ex humoribus intimus dicitur cryſtallinus, quod cryſtallum pelluciditate æmuletur, proximus vitreus, ſeu albugineus, quod vitro recocto, vel ovo albeſcit ſimilis, tertius aqueus ab aquæ ſimilitudine.

*Oppugnatio Rupellæ.*

*Ex Oratore Gallo.*

Eu jam toto Rupellæ ambitu ſe maieſtas illa diffudit. Virtus nullis limitibus continetur, ſed impatiens clauſtri, ultro ſe jactat ſui nominis, & numinis explicatrix. Parum fuerat ſcilicet labore ſuperâſſe loci naturam, niſi artem victor noſter ingenio ſuperâſſet. Tota igitur continenti propugnacula jubet excitari, aggeres extrui, vallum duci, triumque leucarum circuitu Rupellam foſſis juxta, & interpoſitis ſtatiunculis ad communicationem armorũ circumſcribi. Secuta eſt Ducis imperium celeritas operis inuſitata: hic vallum ferre, ille cæmenta convehere, lapideſque portare, palum alius defigere, alius humum egerere, ceſpite moliri tectum, figere, inducere, cumulare, exaggerare: ſui quiſque gradus oblivisci, dignitatem labore metiri, meritum opere; maior ille prædicari, qui actuoſior, ille præfici, qui plus aliquid perfeciſſet, pro ſe quiſque demum contendere, ne ullo laboris certamine vinceretur.

*Ornatus feſtivus.*

*Ex Maffeio lib. 6.*

Parietes, forniceſque viridi fronde, micantibus roſis, & pretioſo periſtromate veſtiuntur. Fragrant odoramentis, ac floribus viæ, accenſis funalibus, ac laternis arbores, pergulæ, feneſtræ collucent; nervorum pulſu, tibiarum, vocumque concentu omnia perſonant.

*Oratio qualis.*

*Ex Famiano lib 2. proluſ. 1.*

Inter omnes facile primas feret, cujus oratio non cæteris quidem ornamentis deſtituatur, hoc tamen imprimis agat, ut animorum concitationi par, nihil jacens, & languidum habeat, ſed vehemens atque eodem ſæpe reciproca feratur: quæ ſaxa devolvat, auditoremque vel obfirmato, ſaxeoque nitentem animo agat ultra, cogatque ire, quo rapiat: quæ compoſita veluti facie ad ingenium auditorum inſinuet ſeſe penitus in illorum mentes, atque eas pugnaci, inſtantique genere dicendi, modo ad iracundiam, indignationemque ſuccendat, modo lenitate ac manſuetudine mitiget, amore rapiat, odio inflammet, confidentia trahat, timore retrahat, pudore ſuffundat, miſericordia flectat, æmulatione ſtimulet, in omnemque partem, tamquam laxatis, retractiſque habenis, impellat inertes, ac deſides; ſimul etiam præfervidos, confidentesque pro arbitratu coerceat.

*Orator malus.*

*Ex M. Tullio lib. 1. de Orat.*

Sunt quidam aut ita lingua hæſitantes, aut ita voce abſoni, aut ita vultu, motuque corporis vaſti, atque agreſtes, ut etiamſi ingenii, atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non poſſint.

*Ex eodem lib. 3.*

Ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum; tantaque inſolentia, ac turba verborum, ut oratio quæ lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritatem, & tenebras afferat, atque ut quodammodo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere videantur.

*Oratoris ſupellex.*

*Ex M. Tullio lib. 1. de Orat.*

Non quæritur mobilitas linguæ, non celeritas verborum, non denique ea, quæ nobis non poſſumus fingere, facies, vultus, ſonus. In oratore autem acumen dialecticorum, ſententiæ Philoſophorum, verba prope poëtarum, memoria juriſconſultorum, vox tragœdorum, geſtus pene ſummorum actorum eſt requirendus.

*Ex eodem lib. 2.*

Eadem facultate fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius? Quis à vitiis acrius revocare? Quis vituperare improbos aſperius? Quis laudare bonos ornatius? Quis cupiditatem vehementius frangere accuſando poteſt? Quis mœrorem levare mitius conſolando.

*Oratoris dictio qualis.*

*Ex Famiano lib. 2. proluſ. 1.*

Quid oratoriæ potiſſimum dictioni laudi tribuam, paucis abſolvam. Erit ille quidem probabilis orator, qui incorrupte dicat, & accurate: ſed curam tamen diſſimulet, idque veluti non agens agat, atque intelligat eam Latini, caſtique ſermonis virtutem non tam adeſſe cum laude, quam deeſſe cum dedecore: qui non tenui venula per calculos fluat aritudini obnoxius in æſtu dicendi, ſed ingenti late copia redundet ubique tutus à metu ſiccitatis: modo torrentem ripis coerceat ſuis, & quod præcipitur à dicendi magiſtris, ubertatis luxuriem ſtylo depaſcat: qui ſuavi, & conſperſa quaſi verborum, ſententiarumque floribus oratione ita delectetur, ut ſuavitatem amet etiam auſteram, & ſolidam, non æquabiliter ubique dulcem, atque decoctam: qui etiam numeroſe, volubiliterque ex prompta memoria devolvat orationem, non ita tamen ſeſe fugiat, quin ubi libeat ſecurus, ac potens ſui reſpiret: qui cuncta rationum momenta firmet, partemque nullam ſinat otio

ſam eſſe: non tamen ſeveritate rerum quaſi compreſſis digitis, pugnumque facientibus philoſophetur, qui peracutis, conceptiſque ingenioſè ſententiis auditorem excitet: dummodo illæ attemperate, ac ſolide cadant, nec tamquam internitentes noctu per arva cicindelæ ad exortum, ac lucem Solis evaneſcant.

*Orator.*

Vide *Eloquens.*

# P

*Parricidium.*

*Ex M. Tullio tom. 1. pro Sex. Roſcio.*

Etenim ſi (quod præclare à ſapientibus dicitur) vultu ſæpe læditur pietas, quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, jura Divina, atque humana cogebant? In hoc tanto, tam atroci, tam ſingulari maleficio, quod ita rare extitit, ut ſi quando auditum ſit, portenti, ac prodigii ſimile numeretur, quibus tandem, C. Eruci, argumentis te accuſatorem cenſes oportere? nonne & audaciam ejus, qui in crimen vocetur, ſingularem oſtendere, & mores feros, immanemque naturam, & vitam vitiis, flagitiiſque omnibus deditam; & denique omnia ad perniciem profligata, atque perdita?

*Ex eodem ibidem.*

Magna eſt vis humanitatis: multum valet communio ſanguinis, reclamitat iſtiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura: portentum, atque monſtrum certiſſimum eſt eſſe aliquem humana ſpecie, & figura, qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut propter quos hanc ſuaviſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſime luce privârit: cum etiam feras inter ſeſe partus, atque educatio, & natura ipſa conciliet.

*Patriæ amor.*

Quanta omni ferme ætate propenſio in natale ſolum cunctis gentibus inhæſerit, quamque ſtrictis amoris erga patriam legibus omnes conſtringantur, nemo eſt, qui neſciat. Patriæ amore acceſſis militibus quid tam durū, tam arduum, tamque violentum obſtitit, ne ſimiles amentibus ruerent, & inſignia monumenta virtutis ederent? Quid referam ingentes cæſorum militum acervos, captas urbes, expugnatas arces, domitas provincias? Qua dexteritate hoſtium inſidias, petitiones eluderent, quo ardore impetum repellerent, qua alacritate turres, & propugnacula ſubirent, qua conſtantia obſeſſi labores ſuſtinerent, & ingruentes hoſtium copias retardarent?

Erit in æterna hominum memoria Codrus ille, qui ſeſe in armatas hoſtium turmas intulit, ut patriam ſanguine ſuo profuſo tutaretur. Cunctis gentium calamis, & linguis celebrabitur Curtius, qui, ut Romam à mortis eriperet faucibus, ſeſe in fauces medio dehiſcentes foro dedit præcipitem. Clariſſimam Leonidis mortem pro Græcia obitam nulla unquam ætas ſilentio involvet. Decii ſeſe pro patria devoventes (inquit Ozorius lib. 4 de gloria) animos noſtros ſibi virtutis admiratione devinciunt. Sed pro omnibus unus ſit Romanæ libertatis vindex Brutus: de quo ita L. *Florus l. 1. c. 9.* Quum (inquit) ſtuderet revocandis in urbem regibus liberos ſuos comperiſſet, protraxit in forum, & concione media virgis cæcidit, & ſecuri percuſſit, ut plane publicus parens in locum liberorum adoptaſſe ſibi populum Romanum videretur.

*Patriæ amor.*

*Ex M. Tullio tom. 3. pro Milone.*

Me quidem, Judices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſidue, & quibus interſum quotidie. Valeant (inquit) valeant cives mei, ſint incolumes, ſint beati: ſtet hæc urbs præclara, quoquo modo merita de me erit: tranquilla Republica cives mei (quoniã mihi cum illis non licet) ſine me ipſi, ſed per me tamen perfruantur: ego cedam, ego abibo, ſi mihi Republica bona frui non licuerit, at carebo mala: & quam primum tetigero bene moratam, & liberam civitatem, in ea conquieſcam.

*Patriæ amor.*

*Ex Ovidio 1. Pont. 4.*

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Cum bene ſint clauſæ cavea Pandione natæ,
Nititur in ſylvas quæque redire ſuas.
Aſſuetos tauri ſaltus, aſſueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.

*Pavo.*

*Ex Plinio lib. 10. cap. 20.*

Glorioſum illud animal gemmantes laudatum oſtendit colores adverſo maxime Sole; quia ſic fulgentius radiat: ſimul umbræ, quoſdã repercuſſus cæteris, qui in opaco clarius micant, conchata quærit cauda, omneſque in acervum contrahit pennarum, quos ſpectari gaudet oculos. Idem cauda annuis vicibus amiſſa cum foliis arborum, donec renaſcatur iterum cum flore, pudibundus quærit latebram.

*Pavo.*

*Ex D. Nazian. Orat. 34.*

Qui fit, ut arrogans ille, & medicus Pavo, elegantiam, gloriamque adeo affectet elata cervice, alis aureis ſtellatis, in orbem circumductis, corporis ſui pulchritudinem amaſiis, cum ſuperbo quodam inceſſu, velut in theatro ſpectandam proponit.

*Pavo.*

*Ex Dione in Olymp.*

Quid vero Junoniam avem, pluchellum illum pavonem, qui gemmat floribus, nitet purpura, micat auro, ſtellis radiat, qui cū ſe intingit, rotat, delicias agit, & conchata caudæ volumina explicat, magnificentiſſimum theatrum, aut cœlum ipſum micantibus ſtellis undique vermiculatum ſpectatorum oculis ſubjicit.

*Pavo.*

*Ex Luciano de domo.*

Pavo incipiente vere ad pratum aliquod accedens, quando flores prodeunt extenſis pennis, iiſque oſtenſis Soli, & ſublata cauda, eamque undique circa ſe pandens, ſpectandos exhibet & illius flores, & ver illud pennarum, perinde ut prato ad hujuſmodi contentionē, & certamen ipſum provocante; convertit quippe ſe ipſum, & circum agit, & quaſi quamdam pompam agit pulchritudinis ſuæ: quando videlicet, etiam admirabilior apparet ad ſplendorem Solis, variantibus ſe coloribus, & paulatim in alios, atque alios tranſeuntibus, aliamque, & novam formoſitatis ſpeciem ſubinde recipientibus.

*Pax.*

*Ex M. Tullio tom. 1. pro Cluen.*

Quid eſt tam populare, quam pax? Qua non modo ii, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiã tecta, atque agri mihi lætari videntur. Quid tam populare, quam libertas? Quam non ſolum ab hominibus, verum etiam à beſtiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare, quã otium? Quod ita jucundum eſt, ut & nos, & majores noſtri, & fortiſſimus quiſque vir maximos labores ſuſcipiendos putet, ut aliquando in otio eſſe poſſit, præſertim in imperio, & dignitate: qui idcirco etiam majoribus noſtris præcipuam laudem, gratiamque debemus, quod eorum labore eſt factum, ut impune in otio eſſe poſſemus.

*Ex eodem tom. 3. Phil. 13.*

Dulce nomen eſt pacis, res vero ipſa cum jucunda, tum ſalutaris. Nam nec privatos focos, nec leges, nec libertatis jura chara habere poteſt, quem diſcordiæ, quem cædes, quem bellū civile delectat: eum ex numero hominum exterminandum, ex finibus naturæ rejiciendum puto.

*Pax.*

*Ex Tibullo lib. 1. Eleg. 10.*

Interea pax arva colit, pax candida primum
Duxit araturos ſub juga curva boves.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,
Funderet ut nato teſta paterna merum;
Pace bidens, vomerque vigent; at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arva ſitus.

*Ex Silio lib. 11.*

Pax optima rerum,
Quare homini noviſſe datum eſt: pax una triumphis
Innumeris potior: pax cuſtodire ſalutem,
Et cives æquare potens.

*Penſiles horti.*

*Ex Q. Curtio lib. 2.*

Super arce vulgatum Græcorum fabulis miraculum, penſiles horti ſunt, ſummam murorum altitudinem æquantes, multarūque arborum umbra, & proceritate amœni. Saxeæ pilæ, quæ totum onus ſuſtinent, inſtructæ ſunt. Supra pilas lapide quadrato ſolum ſtratum eſt patiens terræ, quam altam injiciunt, & humoris, quo rigant: adeoque vaſtas arborum ſuſtinet moles, ut ſtipites earum octo cubitorum ſpatium craſſitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æque ſint, ac ſi terra ſua alerentur: lati parietes ſuſtinent undecim pedū intervallo diſtantes, ac procul viſentibus ſylvæ montibus ſuis immineere videantur. Syriæ Regem Babylone regnantem hoc opus eſſe molitū memoriæ proditum eſt, amore conjugis victum, quæ deſiderio nemorum, ſylvarumque in campeſtribus locis, virum compulit naturæ genium amœnitate hujus operis imitari.

*Periſtroma.*

Qui texturam exercent, & acu pingunt, quando periſtroma aureis,

aureis, & argenteis filis illudunt, variant, & diſcriminant, tanta ſolertia, & artis acumine, ut contuentium fatigetur acies, dum modo illis, modo aliis intenta ludibriis, minutum conſpicit, quibus ſe intercipientibus nodis, quibus ſe ad invicem connectentis panni nexibus, quibus ſe labyrinthis voluminum modo agglutinato argento protuberent, modo in diverſas, ac diſſimiles animantium formas abeant, modo in ſpumantis fluvii, aut ferocientis Oceani ſpeciem ſinuentur.

*Peſtis.*

*Ex Anonymo.*

Ob inclementem cœli temperiem, corruptumque aëris, vel cœli tractum graſſari cæpta eſt lues, quæ congeſtis mortalium funeribus ſtrata paſſim compita, ad horrendum vitæ ſpectaculum, & deplorandum vivis, qui aderant, oſtentabat. Villæ, pagique cultoribus nudabantur. Civitates in ſolitudinem erant redactæ. Videres tot ſenes cæde liberorum gravius, quam ferro peremptos: tot liberos orbatos, tot anus deſtitutas, tot divites ad inopiam redactos, &c.

*Peſtis.*

*Ex Virg. Æneid.* 3.

Jamque fere ſicco ſubductæ littore puppes,
Connubiis, arvisque novis operata juventus:
Jura, domoſque dabam, ſubito cum tabida membris,
Corrupto cœli tractu, miſerandaque venit
Arboribuſque, ſatiſque lues, & lethifer annus;
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum ſteriles exurere Sirius agros:
Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat,

*Philomela*. Vide *Luſcinia.*

*Phœnix.*

*Ex Plinio lib.* 16. *cap.* 2.

Haud ſcio, an fabuloſe unum in toto orbe, nec viſum magnopere. Aquilæ narratur magnitudo, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cæruleam roſis caudam pennis diſtinguentibus, criſtis faciem, caputque plumeo apice cohoneſtante. Primus atque diligentiſſimus de eo prodidit Manlius ſenator ille maximis nobilis doctrinis, neminem extitiſſe, qui viderit veſcentem, ſacrum in Arabia Soli eſſe, vivere annos DCLX. ſeneſcentem caſiæ, thuriſque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuper emori. Ex oſſibus deinde, & medullis ejus naſci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum, principioque juſta funeri priori reddere, totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis urbem, & in ara ibi deponere.

*Pigritia Braſiliæ.*

*Ex Maffeio lib.* 2.

Valde inuſitata & effigie, & natura eſt animal, quod ab re ipſa Luſitani Pigritiam appellant, ceregonum ferme magnitudine, ſed roſtro fœdiore ad aſpectum, & unguibus ad digitorum ſimilitudinem prominentibus. Huic ex occipitio exiſtens coma cervicem velat: lentoque ipſa ventris adipe verrit humum, neque unquam in pedes exurgit: denique tam tarde movetur, ut quindecim ipſis diebus ad lapidis ictum continuo tractu vix prodeat. Victitat arborum foliis, & in earum cacuminibus degit plerumque; quarum in aſcenſu biduum circiter, tantumdem in deſcenſu ponit: neque vero adhortationibus tantum, aut minis, ſed ne plagis quidem, fuſtibuſve beſtiam, vel tantillum de inſita ignavia, ac tarditate dimoveas.

*Poëſis*. Vide *Muſica.*

*Portus.*

*Ex Maffeio lib.* 7.

Igitur delato in conſpectum Ceilani Scario, & Columbanam præcipue orā oculis perluſtranti locus occurrit ad navium appulſum, & arcis ædificationem idoneus: hami figura littus in mare procurrit: curvoque anfractu capacem efficit portum, in quem ex inſula navigabile flumen illabitur.

*Pratum.*

Apponite mihi pratum, ubi jugis, ac ſerena vernet temperies, telluſque ipſa, quanta eſt, in omnigenam, ac diſſimilem florum varietatem effuſa, innumeris pene coloribus diſtinguatur. Eſtne aliquid, quod nitore magis moretur oculos ad videndum, odore excitet nares ad ſubodorandum, pulchritudine invitet manus ad carpendum? *Teſtis Claud.* 2. *de raptu.*

Pratorum ſpoliatur honos: hæc lilia fulcis
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur ſtellata roſis: hæc alba liguſtris.

*Teſtis Ovidius Faſt.* 4.

Valle ſub umbroſa locus eſt aſpergine multa
Humidus ex alto deſilientis aquæ.
Tot fuerant illic, quot habet natura colores,
Pictaque diſſimili flore nitebat humus.
Præda puellares animos oblectat inanis;
Et non ſentitur ſedulitate labor.
Hæc implet lento calathos è vimine nexos,
Hæc gremium, laxos degravat illa ſinus.
Illa legit calthas, huic ſunt violaria curæ,
Illa papavereas ſubſecat ungue comas.

*Præda ingens.*

*Ex Q. Curtio lib.* 3.

Jacebant totis campis opes regiæ, illa pecunia ſtipendio ingenti militum præparata, ille cultus tot nobilium virorum, tot illuſtrium fœminarum, aurea vaſa, aurei fræni: tabernacula regali magnificentia ornata, vehicula quoque à ſuis deſtituta, ingentis opulentiæ plena, facies etiam prædantibus triſtis, ſiqua res avaritiam moraretur: quippe tot annorum incredibili, & fidem excedente fortuna cumulata, tunc alia ſtirpibus dilacerata, alia in cœnū demerſa eruebantur: non ſufficiebant prædantium manus prædæ.

*Prædatio crudelis.*

*Ex Ozorio lib.* 5. *de reb. Emman.*

Duodeviginti Luſitani avaritia cæcati ſunt, tantum enim in ſcapham onus, & prædam impoſuerunt, ut ſcapha demerſa omnes interirent: ſcapha vero illorū pondere levata rurſus emerſit. Tātaque fuit in cæteris militibus immanitas, ut ne quidquam illos à prædandi ſtudio remorari poſſet, manus mulierum multarum præciderint, quo minore labore illis annulos, & armillas detraherent.

*Princeps optimus.*

*Ex Anonymo.*

Fuit Princeps noſter forma excellens, innocentia eximius, ſanctitate præcipuus, eloquentia copioſus, dux bello peritiſſimus, civis in toga modeſtiſſimus, amicitiarum tenax, in offenſis exorabilis, in reconcilianda gratia, & accipienda ſatisfactione facillimus: potentia ſua nunquam ad impotentiam uſus. Superavit æquitate gratiam, virtute ambitionem. Nam facere recte cives ſuos Princeps optimus faciendo docet: cumque ſit imperio maximus, exemplo maior eſt.

*Princeps ſupra laudem.*

*Ex Oratore Gallo.*

Votis publicis oratores alii ſuorum Principum facta commendant, faciam ego, ut intelligant univerſi, te tuis factis, Rex Auguſtiſſime, vota omnium ſuperâſſe: & ſi vota univerſorum, quāto magis mea unius præconia ſuperâſti? Quidquid tamen de te dixerimus, dictum erit magnifice, quia nihil feciſti humiliter, & demiſſe, toties ampliſſime, & laudaberis, quoties vere quæ geſſeris, narrabuntur; rurſuſque toties vera de te audies prædicari, quoties recitabuntur ampliſſima. Ornâſti tu tua facta: corrumpet, qui melius ornare voluerit. Mitto igitur eſſe ſollicitus de cultu orationis, poſtquam tantus eſt ſplendor in ipſa materia.

*Principis officium.*

*Ex M. Tullio tom.* 2. *pro Rabirio.*

Quamobrem ſi eſt boni Conſulis, cum cuncta auxilia Reipublicæ labefactari, convellique videat, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti, fortuniſque omnibus, implorare civium fidem, ſuam ſalutem poſteriorem ſaluti communi ducere: eſt etiam bonorum, & fortium civium, quales vos omnibus Reipublicæ temporibus extitiſtis, intercludere omnes ſeditionum vias, munire præſidia Reipublicæ: ſummum in Conſulibus imperium, ſummum in Senatu conſilium putare: ea qui ſecutus ſit, laude potius, & honore, quam pœna, & ſupplicio dignum judicari.

*Procella*. Vide *Tempeſtas.*

*Propugnaculi ſubſtructio in mari.*

*Ex Oratore Gallo.*

Ingeſta generis omnis ſaburra, maxima vis lapidum temere jacta in profundum, ſuperaddita cumulove grandia pondera. Sed Oceanus dum helluatur accepta, novis pabulis inhiat, quin ponderibus attollitur, effunditur, & parte omni fauces aperit, quæ pabulum objeceris. Oppoſita quidem fluctus eluctabantur repagula, ſed adhuc ſoluta machinatio ſine compagibus erat, ſine cōmiſſura, ſine cæmento, ſuis tantum librata, firmataque ponderibus: hiabat male materiatus murus aquas tranſmittens: conferti ſine ordine lapides cum fluctibus luctabantur, & trahebantur in præceps: temeraria demum, & indigeſta illa ſubſtructio, nullo nixa fundamento hoſti riſus ciebat, metum afferebat militi, animos addebat Regi, qui malit cum natura luctari, quam cum fortuna triumphare. Neque vero diu ſtetit ſine nexu fabrica, ſed ſe ipſas aquæ prodiderunt, quæ dum ſe in rimas ſaxorum inſinuant, & crudum parietem interluentes tentant inconditam laxare compagem, ſecum cænoſam fuliginem convectabant, & luto quovis glutine tenaciori congeriem aridam officioſe adſtringebant.

*Pſittacus.*

*Ex Appul. lib. 2. florid.*

Color pſittaco viridis ex intimis plumulis, & ex imis palmulis, niſi quod ſola cervix diſtinguitur. Enim vero cervicula ejus circulo niveo velut aurea torque, pari fulgoris circumactu cingitur, & decoratur: roſtri prima duritia cum in petram quampiam concitus altiſſimo volatu præcipitat, roſtro ſe velut anchora excipit. Sed capiti eadem duritia, quæ roſtro: cum ſermonem noſtrum cogitur æmulari, ferrea clavicula caput tunditur: imperium magiſtri, ut perſentiſcat, hæc ferula diſcenti eſt. Diſcit enim pullus uſque ad duos ætatis ſuæ annos: ſenex autem captus indocilis eſt, & obliviosus. Ad diſciplinam humani ſermonis facilior eſt pſittacus, qui glande veſcitur, & cujus in pedibus, ut hominis quini digitûm numerantur.

Puer. Vide *Ætas hominis.*

*Pugna conſerta.*

*Ex Maffeio lib.* 10.

Ibi contracta repente pugna Aialus caſſide munitus, & maculis ferreis, prælongam vibrans utraque manu romphæam, in hoſtes furibundus invehitur; at dum haſtatis, ac fiſtulatoribus incautus objecit ſeſe, cum undique peteretur, vulneribus aliquot acceptis, in arma procubuit: & ſimul, ut erat egregiis viribus, momento reſurgit, ac diſſimulato aliquandiu dolore, ne ſuis trepidationem injiceret, ante prima ſigna perrexit.

*Pugnæ initium.*

*Ex Q. Curtio lib.* 4.

Tum vero univerſa futuri diſcriminis facies in oculis erat: armis inſignibus equi, & viri ſplendebant, & omnia intentiore curâ præparari ſolicitudo Prætorum agmina ſua interequitantium oſtendebat: ac pleraque inania, ſicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor ſolicitam expectatione mentem turbaverant.

*Pugna duorum ſimul cadentium.*

*Ex T. Livio* Dec 1. *lib.* 2.

Aruns ubi ex lictoribus procul eſſe Conſulem; deinde jam propius, ac certius facie quoque Brutum cognovit: inflāmatus ira, ille eſt vir, inquit, qui nos extorres expulit patria, ipſe enim noſtris decoratus inſignibus magnifice incedit. Dii regum ultores, adeſte. Concitat calcaribus equum, atque in ipſum infeſtus Conſulem dirigit; ſenſit in ſe iri Brutus, avideque ſe certamini offert; adeoque infeſtis animis concurrerunt, ut neuter dum hoſtem, vulneraret, ſui protegendi corporis memor, contrario ictu per parmam uterque transfixus, duabus hærentes haſtis moribundi ex equis lapſi ſunt.

*Pugna navalis.*

*Ex Famiano lib. 2. prol. 3.*

Bragadinæ quinqueremes duæ inuſitata magnitudine, & duplici grandium tormentorũ verſu formidabiles ante cornu paulum progreſſæ ſe in hoſtium claſſem induxerant primæ, atque exploſis à fronte, à tergo, à latere tormentis, multis momento perforatis, dilaceratiſque Othomanorum navigiis, trepidari primum, mox etiam inclinare dexterum cornu cœpit. At Mahometes ſimul vociferans, ſimul acinace in timidiſſimum quemque irruens trepidationem ſiſtere adnitebatur. Sed fruſtra omnia, cum nihil à quinqueremibus intermitteretur, ſed repetita ingruentium vi globorum paſſim perterebratis navium lateribus ingens ederetur claſſiariorum, ac remigum ſtrages. Et vero atrox ſpectaculum fuit infecta ſanguine maria contueri, mutilas, ac vulneratas ubique naves, fluitantes malos, remoſque juxta, ac informia cæſorum cadavera, & trunca, animæque adhuc plena complurium membra per undas miſere colluctantium.

Vide. *Naumachia.*

*Pugna vitiorum cum virtutibus.*

*Ex M. Tullio tom. 2. Catil. 2.*

Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc ſtuprum, hinc fides, illinc fraudatio, hinc pietas, illinc ſcelus, hinc continentia, illinc libido; denique æquitas, tēperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes cum impietate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: poſtremo copia cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit.

*Pulcher, & blandus.*

*Ex Cauſſino lib.* 11.

Intuemini, ſi placet, hominem, ut ab imis unguiculis ad verticem uſque totus eſt pulchellus; quæ frontis exporrectæ ſerenitas! Quæ ſuavitas oculorum! Quæ venuſtas oris! Quæ renidentis ad ungula vultus amœnitas! Quot in facie Veneres! Quot volitant Cupidines! quot roſeis labellis inſident Sirenulæ! Cernite, ut dentes habet nitidos, Indico ebore, vel prima nive candidiores; ut longos, ac graciles digitos magnæ, lucenteſque gemmæ incendunt. Quid quod comam habet ſcitiſſime à tonſore magiſtro rotundatā, madentes cincinnorum fimbrias, molles, ceruſſataſque buccas, veſtes ſericas, ſubſericas, holoſericas, quarum quotidie mutat colores. Quacumque pergit, hic pullulare roſas, fluere balſama, naſci ſeplaſiam diceres. Sicut pavo contractis caudæ voluminibus, & verſiculore plumarum amictu ſuperbiens ſe frequenter intuetur, cervicem rotat, gradum frangit, & ſic in vicis ambulat, ut perſonatus rex in tragœdia ſpectans, frequenter, an ipſe ſpectetur.

*Ex Seneca 7. nat.* 1.

Nondum ſatis robur omne projecimus, adhuc quidquid eſt boni moris, extinguimus; levitate, & politura corporum muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri ſumimus; tenero, & molli inceſſu ſuſpendimus gradum, non ambulamus, ſed repimus; exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur; quotidie comminiſcimur, per quæ virilitati fiet injuria, ut traducatur; quia non poteſt exui.

*Pulcher.*

*Ex Virg. Æn.* 1.

Reſtitit Aeneas, claraque in luce refulſit,
Os, humeroſque Deo ſimilis: namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus; aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro.

*Pulchritudo pueri* Vide *Occaſio.*

*Pulchritudo juvenis.* Vide *Ætas.*

# R

*Recreatio honeſta.*

*Ex M. Tullio. tom. 3. pro Cælio.*

Multa nobis blandimenta natura ipſa genuit, quibus ſopita virtus conniveret; & interdum multas vias adoleſcentiæ lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo, aut prolapſione vix poſſet: & multarum rerum jucundiſſimarum varietatem dedit, qua non modo hæc ætas, ſed etiam jam corroborata caperetur.

Ergo hæc deſerta via, & inculta, atque intercluſa frondibus, & virgultis relinquatur, detur aliquid ætati; ſit adoleſcentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur; non ſemper ſuperet vera illa, & directa ratio; vindicat aliquando cupiditas, voluptaſque rationem, dummodo illa in hoc genere præſcriptio, moderatioque teneatur.

*Regio optima.*

*Ex Q. Curt. tom. 3. lib.* 8.

Terra lini ferax, inde pleriſque ſunt veſtes. Libri arborum teneri, haud ſecus quam ceræ literarum notas accipiunt. Aves ad imitandum humanam vocem dociles ſunt. Animalia inuſitata cæteris gentibus, niſi invecta. Eadem terra rhinocerotas alit, non generat. Elephantorum maior eſt vis, quam quos in Africa domitant, & viribus magnitudo reſpondet. Aurum flumina vehunt, quæ, levi, modicoque lapſu ſegnes aquas ducunt. Gēmas, margaritaſque mare littoribus infundit; neque alia illis maior opulentiæ cauſa eſt, utique poſtquam vitiorum commercium vulgavere in exteras gentes, quippe æſtimantur purgamenta æſtuantis freti pretio, quod libido conſtituit. Vide Ubertas.

*Regio Braſiliæ amœna, & fertilis.*

*Ex Maffeio lib.* 2.

Regio ferme tota imprimis amœna eſt cœli admodum jucunda, ſalubriſque temperies, lenium quippe à mari ventorum flatus commodiſſimi matutinos vapores, ac nebulas tempeſtive diſjiciunt, Soleſque puriſſimos, ac nitiſſimos reddunt. Scatet ea tota ferme plaga fontibus, ac ſylvis, & amnibus inclytis. Eſt (ut reliquos taceam) is, quem Argenteum vocant, leucarum quadraginta oſtio in mare fertur adeo violentus, ut inde nautæ dulces hauriant latices, priuſquam tellurem ex alto conſpiciant. Terra partim in planitiem expatians, partim in colles clementer aſſurgens, felix præpinguibus glebis, & riguo ſolo, ſemperque vernante, credita ſemina multiplici reddit fœnore, ac ſachari præſertim ferax eſt, quod cœleſte donum Attico melli multis partibus præferendum; proceris arundinibus condit natura: è quibus aquaria mola dulciſſimus humor expreſſus in aënis ad purum excoquitur: tum formis in panes cogitur ad metæ figuram: deinde rurſus, ubi libuerit, eliquatus artifici manu pigmentis ad inſtar ceræ varias in effigies indiſcreta pene veriſimilitudine trahitur.

*Regio Sinarum temperata, & uberrima.*

*Ex Maffeio lib.* 6.

Tellus maxima ex parte intra temperatæ plagæ terminos continetur, radioſque Solis, ſuaque natura vitales puro, ac patenti excipit ſinu: ſic fit, ut ſaluberrimo cœlo, & purioris auræ dulcedine perfruatur,

perfruatur: ac ſimul inclytæ fertilitatis glebam, frugum omnis generis fundat copiam bifero, triferoque proventu. Accedit ad eximiam ſoli fœcunditatem ſumma cultorum induſtria. Paſcua etiam ſunt gregibus alendis uberrima; & in hortis egregie cultis cum alia noſtri orbis poma, tum ſapidiſſimos melopepones, ſuaviſſima, & optima pruna, ficuſque, & medica citrea variæ formæ, ac ſaporis, apprime generoſa mala conſpicies. Ad hæc perſpicui fontes, & miro colorum decore, odorumque fragrantia flores, ac roſæ perennant. Flumina vero, quæ magnas quoque patiuntur naves, piſcoſa, & amœna viridiſſimo riparum veſtitu, pinguibus arvis interfluunt: quin & ora maritima pluribus introrſum æſtuariis ad omnium rerum copiam invehendam, evehendamque facili patet acceſſu.

Ingentem præterea volucrum, & ferarum vim ad aucupium, & venatum paludes, luci, ſaltuſque ſuppeditant. Metalla auri, & argenti, & ferri probatiſſimi, & alia incolæ effodiunt. *Margaritas*, & præcipuæ nobilitatis vaſa fictilia, quæ vulgo porcellana dicuntur, pretioſas pelles ad arcendum frigus: itemque goſſipii, lini, lanæ, bombyciſque, & ſeriei fila, veſtemque omnis generis mittit innumerabilem. Saccari, & mellis; & rhabarbari, cafuræ, minii, glaſtique tingendis veſtibus expetiti proventus ingens. Odoramentis cum aliis abundat, tum præcipue moſcho (cujus nullam apud Latinos, Græcoſve Scriptores mentionem invenio) è felibus quibuſdam vulpecularum effigie crebro verbere enectis, deinde putrefactis. Denique nihil aliunde non ad victum modo, cultumque, ſed ne ad delicias quidem, ac voluptates requirunt.

*Reſpublica feliciter adminiſtrata.*
*Ex Anonymo.*

In hac Republica adminiſtrata feliciter revocata eſt in forum fides, ſubmota à foro ſeditio; ambitio campo, diſcordia curiæ ſepulta: juſtitiæ æquitas, induſtria civitati reddita: acceſſit militibus authoritas, ſenatui maieſtas, judiciis gravitas: compreſſa theatralis ſeditio, recte faciendi omnibus aut incuſſa voluptas, aut impoſita neceſſitas. Honorantur recta, prava puniuntur: ſuſpicit potentem humilis, non timet: antecedit, non contemnit humiliorem potens. Quando annona moderatior? Quando pax lætior? Diffuſa in Orientis, Occidentiſque tractus, & quidquid meridiano, aut ſeptemtrione finitur, pax auguſta.

*Rex ornatus.*
*Ex Maffeio. lib. 1.*

Rex Zamorinus in ornatiſſimo lectulo decumbebat, goſſipina candoris nivei tunica indutus, aureis conſperſa roſis, gemmeis fibulis admirabili ſplendore connexa. Caput cum pretioſis in auribus pileus aureus contegebat, in tiaram exurgens, vario gemmarum, unionumque contextu. Brachia, cruraque de more gentis nuda armillæ ex auro decorabant baccis diſtinctæ clariſſimis. Pari fulgore lapilli annulis inſerti complures, è pedum æque, ac manuum digitis emicabant.

*Rhinoceros.*
*Ex Jovio lib. 4. Elog.*

Rex Emmanuel ad extendendam ſubactæ ab ſe Indiæ laudem dignum fama ſua ratus, ſi recentis muneris gratiam novo munificentiæ officio cumularet, rhinocerotem etiam miſit, qui ex itinere longiſſimæ navigationis in littus provinciæ Narbonenſis expoſitus, inſigni Galliæ ſpectaculo fuit. Erat hæc bellua paulo humilior elephanto, ſi altitudinem ſpectes, ſed longitudine prope par, noſtratis bubali formam referens: nam ungulas habet biſulcas, verum tergore buxei coloris, eoque ab impenetrabili duritie duplicato, tamquam perpetuo thorace protegitur, armaturque pedali oſſeo cornu ſupra nares eminente, quo ferire ſub utero, atque transfodere elephantem peculiarem ſuum hoſtem ſolet, ſi tamen injectæ ad collum ocyſſime ſtrangulantis proboſcidis vim effugiat: nam in congreſſu perpetuæ ſimultati aut parta victoria, aut certe decora morte ſatisfacit.

*Roſa.*
*Ex D. Ambroſio hexam. lib. 3. c. 11.*

Surrexerat antea floribus immiſta teneris ſine ſpina roſa, & pulcherrimus flos ſine ulla fraude vernabat: poſtea ſpina ſepſit gratiam floris, tamquam humanæ ſpeculum præferens vitæ, quæ ſuavitatem perfunctionis ſuæ finitimis curarum ſtimulis ſæpe compungat.

*Roſa.*
*Ex Plinio lib. 21. cap. 4.*

Roſa naſcitur ſpina verius, quam frutice, in rubo quoque proveniens: illic etiam jucundi odoris, quamvis anguſti. Germinat omnis primo granoſo incluſa cortice, quo mox intumeſcente, & in virides alabaſtros faſtigiato paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſeſe pandit in calicis medio ſui ſtantis complexa luteos apices.

*Roſa planta.*
*Ex Oratore quodam.*

E fœcundis parentis terræ visceribus, quibus adhuc jactis ſaltem radicibus, & ſparſis undique fibris adhæreſcit, in ſalutarem aëris uſuram prodit roſetum genitrix planta, generoſæ ſobolis, floruleutæ familiæ ſeriem expoſitura copioſam. Multiplicis ex uno caudice rami diffunduntur in virgulta, ſcabro cortice tecta; patuliſque ſentibus obarmata. Tenuiores inde, virideſque ſurculi ſparguntur, quorum internodia frequentes ſepiunt ſpinæ. Folia quoque geniculatim iudidem proferuntur in oblongum rotunda, tactu aſpera, diſtinguente medium nervo, ac venulis ab eo fluentibus interiecta: in ſummo vero margine crenis inciſa, & quaſi ſerrata per ambitum.

*Roſa Flos.*
*Idem proſequitur.*

Surculorum faſtigio petiolus imminet ſuſtinens florem, atque ſubjectum globulum, ſeu capitulum mordaci lanugine refertum. Calyx inde protuberat, ſive folliculus roſæ, qui primo concluſus, undique concolor, virentibus, ac laciniatis faſtigiatur alabaſtris, & cortice granoſo non dum luci maturum cohibet fœtum. Mox involucro tumeſcente, & parturiente quodammodo papillato corymbo, conditus rubor paulatim aperitur, & purpurantem dehiſcit in nympham.

Ad extremum pompa colorum penitus patefacta, partuque roſæ pulcherrimo nativum in calathum libere, ac liberaliter effuſo, tota vernantium foliorum explicatur ambitio. ardentiſſimo ſuperne colore profuſo, ſub albidis inferne unguibus ad calycis umbilicum coactis. Hinc vero ad coronam... ntum operis, in orbe crebra ſtaminum capillamenta conſurgunt, luteis, vel potius aureis apicibus terminata. Sic auro coronatur, quæ ſpinarum conſortium amat roſa, illuſtri documento, vel ſpinoſum eſſe aurum, vel aureas demum evadere ſpinas, quæ virtutem exacuunt, dum exercent.

*Roſæ nativitas, & ætas.*
*Idem proſequitur.*

Hæc igitur Solis, ac Terræ nobilis filia, quæ multum inſtar habet genitoris in crinibus; genitricis in brachiis: quæque tanquam progenies regia ab utroque parente (Sol enim cœleſtium orbium, Terra frequentium urbium obtinet regnum: & ille radiis redimitur, hæc montibus) ubi primum oritur, nativo excipitur in oſtro: mediis habet in haſtis incunabula: & quod prodigium eſt magis admirabile, quia magis conſuetum: naſcitur coronata, hæc, inquam, rubore notabilis virguncula, quæ virentibus involuta faſciolis matutino rore quaſi nutricis Auroræ lacte ſuccreſcit; ubi ad floridam adolevit juventutem, & ſuæ prænuncios miſit maturitatis odores; ſi nimis diu publicæ mundi luci ſe vulget, atque è viridi ſcena rubentium foliorum efferens pompam, ſpectatoribus oculis placere ſtudeat, & plauſum captet adulatricis auræ: nimirum veram dixeris, quam dat roſa tragœdiam: cum & unius diei, aut potius breviori ſpatio actio univerſa, hoc eſt vita pulchritudinis eximiæ definiatur: & tanta contingat in formoſiſſimo flore mutatio, ut mox acciſis foliis, quaſi membris ad terram conſternatus miſere devolvatur, floris cadaver, ventorum ludibrium, calcantium pedum opprobrium.

*Rupes.*
*Ex Q. Curtio lib. 6. & 8.*

Prærupta erat rupes, quæ ſpectat Occidentem, eademque vergit ad Orientem, leviore ſubmiſſa faſtigio, multis arboribus obſita. Perennem habet fontem, ex quo largæ aquæ manant. Circuitus ejus nonaginta duo ſtadia comprehendit. Petra, non ut pleræque modicis, ac mollibus clivis, in ſublime faſtigium creſcit, ſed in metæ maximæ modum erecta eſt, cujus ima ſpatioſiora ſunt: altiora in arctius coëunt, ſumma in acutum cacumen exurgunt. Radices ejus Indus amnis ſubit præaltos utrinque aſperis ripis. Ab altera parte voragines, eluvioneſque præruptæ ſunt; nec alia expugnandi patebat via, quam ut replerentur.

# S

*Sagacitas Oratoris.*
*Ex Famiano lib. 1. prol. 1.*

Oratori interdum contingit congredi eo cum homine, cujus ingenium per ſe latens, multiplex, ac tortuoſum, ubi ſe quæri ſentit, deque rebus ſuis agi, ita ſe neſcio quos intra flexus, atque anfractus abdit, ſepit, obſtinateque concludit, ut nulla via, niſi Theſei filo, id eſt ſagacis prudentiæ ductu adiri, extrahique poſſe videatur. Hinc illa indagatrix ſolertia opportunitatum, locorumque obſervatio, temporum providentia, ſtatuum conjectura, omnium delectus, quibus Orator adeo tempeſtive aditus tentat, occaſiones provide venatur, ſedes, ac loca ſagaciter explorat, rem ipſam veſtigiis pene omnibus odoratur, ut inſinuatus

ſemel

ſemel in hominis animum de gradu, deque fortunis ſuis cedere perſuadeat.

*Sapiens.*

Iis minervæ dotibus excellis, ut in te ad conſtituendum ſcientiarum omnium domicilium contendiſſe cum arte natura videatur. Natura ſuis te adeo cumulavit muneribus, ut nervos omnes intenderit, omneſque vires, & opes in tuum ingenium, & memoriam effuderit. Ea namque tua eſt memoriæ tenacitas, ut quæcunque illi commendaveris, tempore breviſſimo apprehendat, & in longiſſimum retineat: ea mentis acies, ut nihil ſit adeo tenebricoſum, quod non illuſtret, adeo complicatum, quod non enodet, adeo ſublime, quod non aſſequatur, adeo reconditum, quod non perſcrutetur. Quid ſi vellemus tuam ſcientiam, & verborum ubertatem cōmendare? Abeat Plato, erubeſcat Ariſtoteles, ſileat Tullius. Te nemo ad propulsandum acrior, ad arguendum ſubtilior, ad ſtabiliendum firmior, ad exponendum uberior.

*Scyphus.*

*Ex Turſelino apud Cauſſinum lib.* 11. *d.* 144.

Scyphus egregius erat, & gemma excavata, lapidem Lazuli vocant hodie (ut quibuſdam placet) ſaphyrum appellabant. Hæc gemma eximia magnitudine eſt, & aureis internitet venis. Operculum ſcyphi cryſtallinum tornatile, quod auro circumcluſum clariſſimæ gemmæ diſtinguunt. Porro in ſummo operculo angelus aureus Gallici regni inſigne lilium adamantinum ſuſtinet manu. Conſtat quippe lilium ex tribus adamantibus mira arte alligatis. Scyphi pes ſmaragdinus auro obducitur, atque ſubſternitur circa gemmis eximiis, & unionibus adornatus: in ipſa ſmaragdini pedis ſolea, quam auream eſſe diximus, doni author, & cauſa litteris inciſa. *Henricus* 3. *dono miſit ad Virginem Lauretanam pro impetranda virili ſobole*, *anno* M. D. LXXXIV. *per Luſitanum nuncium.*

*Sclopus.*

*Ex Maffeio apud Cauſſinum lib.* 11. *d.* 145.

Nondū apparuerant gentibus iis novæ ſubtilitatis, & operis admirandi baliſtæ, oblongū in tubum, & æqualiter teretem ex ære fuſili figuratæ: quæ non funibus, aut nervis intentæ ſingula mittunt ſpicula: ſed inexcogitata priſcis ratione, ad applicitos tenui abtergo foramine igniculos, cum incremento multiplici rapiendos certos primū nitrati, ac ſulphurei pulveris modulo temperatæ: deinde inſertos ore patente ferreos ex arte globos, catenaſque, & alia obturamenta, fulminū inſtar flāmis eluctantibus, cum horrendo fragore contorquent.

*Senex.* Vide *Ætas hominis.*

*Sermo.* Vide *Oratoris dictio.*

*Serpens.*

*Ex Virg. Æneid.* 5.

Dixerat hæc; adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapſuſque per aras,
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo ſole colores.

*Serpens.*

*Ex Statio Theb.* 4.

Interea campis nemoris ſacer horror Achæi
Terrigena erigitur ſerpens, tractuque ſoluto
Immanem ſeſe vehit, & poſt terga relinquit,
Livida fax oculis, tumidi ſtat in ore veneni
Spuma virens: ter lingua vibrat terna agmina adunci
Dentis, & auratæ crudelis gloria frontis.

*Simulator callidus.*

*Ex Cauſſino lib.* 11. *deſc.* 39.

Simulator talis eſt, qualē difficilime capias, niſi fueris idem. Hominem diceres vulpeculā habere ſub pectore: ita ſolers, varium, verſatile, multiplex ad omnia fingit ingeniū: ſæve blanditur, blande ſævit, dominatur ſuperbe, ſervit humiliter, facie tamen eſt nonnunquam liberali, lætis, & illuſtribus oculis, ore facundo, ſermone civili, veſte ſpecioſa, ad omnem rationem humanitatis, ut videtur, compoſitus. Hic ſi tecum congrediatur, ſubridens ſemivocculas franget, verba concidet, ſive natura, ſive aſſuetudine ſuſpenſa ſemper, & obſcura. Quod ſi ad ingeniū ars accedat, & ſenſus ſuos de induſtria tegere nitatur, non jam ſenſa, ſed mera loquetur ænigmata.

*Sol.*

*Ex M. Tullio* 2. *de nat. Deor.*

Ex quibus Sol, cujus magnitudine multis partibus terra ſuperatur, iſque oriens, & occidens diem, noctemque conficit: & modo accedens, tum autem recedens binas in ſingulis annis reverſiones ab extremo contrarius facit: quarum intervallo tum quaſi triſtitia quadam contrahit terram, tum viciſſim lætificat, ut cum cœlo hilarata videatur.

*Sol.*

*Ex Anonymo.*

Sol ampliſſimæ magnitudinis, ſydus maſculum, non temporum modo, terrarumque, at ſyderum etiam ipſorum: cœli rector, communis naturæ arbiter, nitor orbis, mundi animus flammivomis evectus equis, ocyſſimo rotatus gyro ambit omnia. Hic lumen rebus miniſtrat, hic reliqua occultat ſydera, hic annum ſemper renaſcentem ex uſu naturæ temperat, hic fœnerat cæteris lucem ſyderibus, & humani nubila animi ſerenat: ſub ortum ardet, ad umbilicum radiat, ad occaſum palleſcit: tandem omnia fœcundat, illuſtrat omnia, & clementiſſimis radiis circumveſtit.

*Sol.*

*Ex Claudiano de Probino, & Olybrio.*

Sol, qui flammiferis mundum complexus habenis
Volvis inexhauſto radiantia ſydera motu,
Sparge diem meliore coma, crinemque repecte,
Blandius elato ſurgant temone jugales
Efflantes roſeum frænis ſpumantibus ignem.

*Sol index temporum.*

*Ex Virg. Georg.* 1.

Sol quoque & exoriens, & cum ſe condet in undas
Signa dabit, ſolem certiſſima ſigna ſequentur,
Et quæ mane refert, & quæ ſurgentibus aſtris.
Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbi:
Suſpecti tibi ſint imbres, namque urget ab alto
Arboribuſque, ſatiſque Notus, pecorique ſiniſter,
Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diverſi erumpent radii; aut ubi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Heu, male tum mites defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam, emenſo cum jam decedet Olympo,
Profuerit meminiſſe magis: nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores:
Cæruleus pluvias denunciat igneus Euros.

*Solicitudo.* Vide *Cura.*

*Somnus.*

*Ex Virg. Æn.* 6.

Tum me confectum curis, ſomnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, preſſitque jacentem
Dulcis, & alta quies, placidæque ſimillima morti.

*Somnus.*

*Ex Ovidio Met.* 11.

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,
Mons cavus, ignavi domus, & penetralia ſomni:
Quo nunquam radiis oriens, mediuſve, cadenſque
Phœbus adire poteſt: nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis.
Nō vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Evocat auroram, nec voce ſilentia rumpunt,
Sollicitive canes, canibuſque ſagacior anſer:
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve ſonum reddunt convitia linguæ,
Muta quies habitat: ſaxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes, per quem cum murmure labens
Invitat ſomnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.

*Spes fallax.*

*Ex M. Tullio* 3. *de Orat.*

O fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam, & inanes noſtras contentiones: quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quam portum conſpicere potuerunt.

*Stratagemata militaria.*

Pulchrum illud commentum Auli Poſthumii adverſus Latinos. Dux enim callidiſſimus, ut ſuorum deficientes animos erigeret, juvenes duos liberalis ſpeciei armis fulgentibus, & equis candidis invectos immiſit: cumque inclamaſſet auxilio veniſſe Caſtorem, & Pollucem, tanta Romanis alacritas, tantuſque hoſtibus terror incuſſus, ut ſtatim victoria ſequeretur. Pulchrum, & illud Potii ducis Samnitum, qui Romanos mirabili eventu ad Caudinas furcas ita clauſit, ut omnes ad unum ſub jugum miſerit.

Quid plura? Epaminondas præmiſſo equitatu pulverem excitat, ne conſpiciatur à Lacedæmoniis: inde circumducto exercitu, cum expectaretur à fronte, hoſtem à tergo cæcidit. Ventidius

tidius pugnaturus in Parthos, vicinus hoſti eduxit militem, quo retrocedendi facultatem, & ſagittis eminus pugnandi uſum demeret. Africanus nocte intempeſta Syphacis, & Aſdrubalis caſtra incendio delevit. Antiochus Galatis bellum illaturus eas animo fraudes Architectatus, ut elephantos in obſcuro collocari juſſerit, quo manibus jam utrinque confertis, repente effũderentur, & hoſtilem exercitum turbarent.

*Studia litterarum.*

*Ex M. Tullio tom. 3. pro Archia.*

Nam cæteræ neque temporum, neque ætatum omnium, neque locorum: hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutẽ oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium, ac ſolatiũ præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

*Superbus.*

*Ex Cauſſino lib. 11. deſc. 33.*

Videte, ſi placet, hominem: moriar, ni totus ex faſtu, atque arrogantia, & iniquiſſimo genere ſuperbiæ conflatus eſt. Hic eſt, qui imperio orbis terrarum ſuo ſupercilio, ut Atlante, cœlum niti putat; nec jam meminit, quod homo ſit ex argilla, & luto fictus. quinimo ſe ex aſtris lapſum putat, & qui incertos habet parentes in terris, originis ſuæ principium repetit è cælo. Cernite, quo ſe jactat inceſſu? Quibus nos intuetur oculis? Qua voce (ſi loquitur) omnes præ ſe contemnit? Cernite, ut modo depictas, gemmataſque indutus penulas, manuleatus, & armillatus in publicum prodeat? Modo ſericatus, & cycladatus obambulet? Modo in crepidis, vel cothurnis, modo in ſpeculatoria caliga, nonnunquam in ſocco muliebri prodeat.

*Supplicii honeſtas, & utilitas.*

*Ex M. Tullio tom. 1. Verr. 1.*

Adduxit hominem, in quo reconciliare exiſtimationem judiciorum amiſſam, redire in gratiam cum Pop. Roman. ſatisfacere exteris nationibus poſſetis: depeculatorem ærarii, vexatorem Aſiæ, atque Pamphyliæ, prædonem juris urbani, labẽ, atque perniciem provinciæ Siciliæ: de quo ſi vos ſevere, religioſeque judicaveritis, authoritas ea, quæ in vobis remanere debet, hærebit: ſin iſtius ingentes divitiæ judiciorum religionem, veritatemque perfregerint: ego hoc tamen aſſequar, ut judicium potius Reipublicæ, quam aut reus judicibus, aut accuſator reo defuiſſe videatur.

*Sylva*. Vide *Lucus*.

# T

*Taurus.*

*Ex Plinio lib. 8. cap. 45.*

Tauris in aſpectu generoſitas, torva fronte, auribus ſetoſis, cornibus in procinctu dimicationem poſcentibus. Sed tota cõminatio prioribus in pedibus ſtat: ira gliſcente, alternos replicans, ſpargenſque in altum arenam, & ſolus animalium eo ſtimulo ardeſcens. Vidimus de imperio dimicantes, & ideo demonſtratos rotari, cornibus cadentes excipi, iterumque reſurgere, modo jacentes ex humo tolli, bigarumque etiam curſu citato, velut aurigas, inſiſtere.

*Taurus.*

*Ex Virg. Æneid. 12.*

Ac velut ingenti Syla, ſummove Taburno,
Cum duo converſis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi ceſſere magiſtri:
Stat pecus omne metu mutum, muſſantque juvencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta ſequantur?
Illi inter ſeſe multa vi vulnera miſcent,
Cornuaque obverſi infigunt, & ſanguine largo
Colla, armoſque lavant: gemitu nemus omne remugit.

*Taurus.*

*Ex Statio Theb.*

——Sic nota in paſcua taurus
Bellator redit, adverſo cui colla, ſuoque
Sanguine, proſciſſique natant palearibus armi.
Tunc quoque laſſa tumet virtus, multũque ſuperbit
Pectore deſpecto: vacua jacet hoſtis arena
Turpe gemens, crudoſque vetat ſentire dolores.

*Taurus.*

*Ex Silio lib. 16.*

Abditus ut ſylva ſtabulis cum ceſſit ademptis
Amiſſo taurus regno gregis, avia clauſo
Molitur ſaltu certamina: jamque feroci
Mugitu nemora exterret, perque ardua curſu
Saxa ruit, ſternit Sylvas, rupeſque laceſſit
Irato rapidus cornu: tremit omnis ab alto
Proſpectans ſcopulo paſtor nova bella parantem.

*Taurorum agitatio.*

Ex horrentibus ſylvis plerumque truces, ſævoque metuendi aſpectu lætis juvencarum ſtipati armentis deferuntur tauri, qui in cancellos, & ſeptum interius recepti, ubi aperto oſtio datur poteſtas evadendi, ea feruntur rapiditate, cæciſque præcipitantur conatibus, ut momento integrũ campi ſpatium ambiant, & conjectis eminus aclidibus laceſſiti, modo præ furore ſpumas agant, in obvios irruant, pedibus tellurem percutiant, cornuum ictibus aëra verberent, & quos curſu adepti vel ungulis proterant, vel cornibus ventilent.

Interim univerſus populus ab ſpeculis oculos defigere, incõditos clamores jacere, & qua poteſt geſtuum, vocumque geminatione applaudere; Tympana ſubinde pulsari, tubæ iterato clangore ſtrepere, omneſque ſive videndi deſiderio rapi, ſive cum beſtia congredi, ſive fugam capeſſere.

Sunt denique maximæ admirationi, & voluptati homines, qui pedeſtri, aut equeſtri curſu tantum præſtant, ut taurorum petitiones incredibili dexteritate eludant: equites cominus taurum provocant, atque infixa cuſpide lancinant, modo revocatis habenis ſubſiſtunt, modo adhibitis calcaribus rapiuntur. Pedites ingruentem belluam, vel inflexione corporis declinãt, vel ſudariolum appendunt cornibus, vel iiſdem ferreum orbiculum inſertant, & aliquando tanta pedum, ac membrorũ pollent agilitate, ut longa arundine equitantes geminatis vulneribus laceſſant, & eandem beſtiam ſaltu quandoque rapidiſſimo tranſiliant.

*Tempeſtas.*

Sæpius variante cœlo, pelagoque, atræ, ac ſordidæ nubes ad Septentrionem conglobatæ, omnem in ſe flatum quaſi reciprocando colligunt: mare interim languidũ eſt, inſidioſa tranquillitas: quare locorum, & tempeſtatum ignari naturæ ad auram undique captandam totos velorum expandunt ſinus: cũ ex iis, quas dixi, nubibus univerſo repente impetu ſeſe effundens Aquilo, in ipſas debacchatur naves: vento igitur pertinaciter flante pelagus identidem intumeſcere, fluctus modo ad aſtra ferri, modo ad Tartara penitus ima ſubſidere: Ad hæc atra caligo, & rudentium ſtridor, diſſonæ voces, variæ, & incertæ jubentium, rapidiſſimuſque maris æſtus ſolent oculorum non modo, ſed aurium uſum demere, & gubernandi arbitrium nautis auferre.

Ergo & magiſtri gubernacula huc illuc torquere; & remiges irrito conatu adverſum maris impetum tendere: nihil jã loci conſilio, aut arti eſſe, neque moderatores inter ſe conſtare, neque remigium clavo, neque clavus magiſtris parere, alio navalis turba alio duces, & propugnatores vocare, alio cuncta ſimul ventorum, & æſtus violentia abripere.

*Tempeſtas.*

*Ex Q. Curt. lib. 8.*

Ab omni parte cœli emicare fulgura, & nunc intermittente luce, nunc condita, non oculos modo meantis exercitus, ſed etiam animos terrere cæperunt. Erat prope continuus cœli fragor, & paſſim cadentium fulminum ſpecies viſebantur: attonitiſque auribus ſtupens agmen, nec progredi, nec conſiſtere audebat. Tum repente imber grandinem incutiens torrentis modo effunditur.

*Tempeſtas.*

*Ex Virg. 1. Georg.*

Sæpe etiam immenſum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther
Et pluvia ingenti ſata læta, boumque labores,
Diluit, implentur foſſæ, & cava flumina creſcunt
Cum ſonitu, fervetque fretis ſpirantibus æquor.
Ipſe Pater media nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit: fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor: ille flagranti
Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit, ingeminant Auſtri, & denſiſſimus imber,
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.

*Ex eodem 1. Æneid.*

Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Una Euruſque, Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad littora fluctus.
Inſequitur clamorque virum, ſtridorque rudentũ.
Eripiunt ſubito nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra,
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præſentemque viris intentant omnia mortem.

*Tempeſtas. Ex Lucano lib. 1.*

Jam Phœbe toti fratrem cum redderet orbi,
Terrarum ſubita percuſſa expalluit umbra,
Ipſe caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, genteſque coegit
Deſperare diem, qualem fugiente per ortus
Sole Thyeſteæ noctem duxere Mycenæ.

*Templum. Ex Anonymo.*

Templum marmoribus incruſtatum fulget, laquearibus nitet auratis, queis pavimentorum reſpondet gratia: pictis etiam ſpecularibus periſtromatis, ad certamen uſque pulchritudinis luxuriat, ac munda vaſorum ſupellectile, lychnis aureis penſilibus, aromatibus, gemmis, facibus, omnique accurata munditia elegans. Quæ omnia ſpectantium ſenſus intimo religionis horrore perfundunt.

*Templum.*

*Ex Virg. Æneid. 1.*

Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat donis opulentum, & numine divæ,
Ænea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis.

*Temulentia.* Vide *Ebrietas.*

*Tenax, & avarus.*

*Ex Cauſſino lib. 11. deſc. 35.*

Sordidum hominem intuere, ut veſtes habet ſtrictas, eaſque attritas, & tot interpolatas verſicoloribus panniculis, quot ſunt in cribro foramina. Cerne, ut loculos habet ſitu obſitos, claves ferrugine illitas, oppletas araneis ædes, ut ipſe capite eſt uſque ad cutem raſo, ne ſæpius tonſoris opere indigeat: ut domi nudis pedibus obambulat, nequid interim calceos deterat, citius ex pumice exuas, quam ex eo elocaris beneficium. Domi cum bruma eſt, riget frigore, & ne candelam accendat, felem circumfert, cujus oculis, tanquam facibus, illuſtretur. Vide *Plura ibi, & ſupra. v. Dives.*

*Terra. Ex M. Tullio 2. de Nat. Deor.*

Principio terra univerſa cernitur locata in media mundi ſede, ſolida, & globoſa, & undique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, ac frugibus, quorũ, incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores amnium prælucidos, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas altitudines, immenſitateſque camporum. Adde etiam reconditas auri, argentique venas: infinitamque vim marmoris. Quæ vero, & quam varia genera beſtiarum, vel cicurum, vel ferarũ! Qui volucrum lapſus, atque cantus? Qui pecudum paſtus! Quæ vita ſylveſtrium. Quid jam de hominum genere dicã? qui quaſi cultores terræ conſtituti non patiuntur eam immanitate belluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate vaſtari: quorumque operibus agri, inſulæ, littoraque collucent diſtincta tectis, & urbibus, quæ ſi ut animis, ſic oculis videre poſſemus, nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret.

*Terra.*

*Ex Conimb. 2. Phyſic. c. 9. q. 2.*

Hæret in mundi medio ſtabiliter ſuſpenſa, ac veluti paribus examinata ponderibus: eadem rotunda, ac forma diſpar, vallibus humilis, collibus ſupina, montibus ardua, fluviorũ decurſu, & fontium ſcatebris irrigua: ſemper eadem, & ſemper alia: nunc quaſi brumæ ſenectute effæta, & mortua, nunc novo vernantis anni flore revireſcens, & herbarum, ſeu picturæ artificio, nunc his, nunc illis tincta coloribus: nulla ſui parte inutilis, nulla propemodum infructuoſa: interius gemmarum, auri, argenti, & aliorum metallorum opulentia dives: exterius veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur.

*Terra.*

*Ex Manilio lib. 1.*

Eſt igitur tellus mediam ſortita cavernam
Aëris, & toto pariter ſublata profundo:
Nec patulas diſtenta plagas, ſed condita in orbem
Undique ſurgentem pariter, Pariterque cadentem.

*Terræmotus.*

*Ex Ammiano lib. 17. cap. 7.*

Iiſdem diebus terræmotus horrendi per Macedoniam, Aſiãque, & Pontum aſſiduis pulſibus oppida multa concuſſerunt, & montes. Primo lucis exortu ad diem nonum Kalendas Septembris concreti nubium globi nigrantium lætam paulo ante cœli ſpeciem confuderunt: & amandato Solis ſplendore, nec contigua, nec appoſita cernebantur, ita oculorum obtutu perſtricto: fumo involutus craſſæ caliginis ſqualor inſedit. Deinde velut a numine ſummo fatales contorquente manubias, ventoque ab ipſis excitante cardinibus magnitudo furentium incubuit procellarum: cujus impetu pulſorum auditus eſt montium gemitus, & eliſi littoris fragor: hæcque ſequuti typhones, atque preſteres cum horrifico tremore terrarum, civitatem, & ſuburbana funditus everterunt.

*Terræmotus, & Maris motus.*

*Ex Maffeio lib. 8.*

Ut in Cambaiana littora ventum eſt (nam eam imprimis regionem explorare placuerat) in ſumma repente malacia, ſilentibus ventis, ab imo flatus intumuit: inde naves inter ſe nutare, crepitare compages, tabulata concuti cæpta. Nautæ ſubito pavore icti cum in ſyrtes illatam haud dubie claſſem crederent in ſumma perturbatione rerum omnium, alii bolidem dimittere, alii ad exhauriendam ſentinam, vel ad clavum tenendum occurrere: ſapientiores alii circũſpectare fugam: atque doliola, & tabulas ad enatandum arripere: ipſe Imperator initio nequaquam expers timoris, ac ſolicitudinis fuit, ſed mox comperto eum eſſe terræmotum (quem navigantes quoque ſentire non dubium fuit) ad ſocios hilari vultu converſus: adeſto animis (inquit) viri, adventu veſtro perterritus Cambaianus Oceanus intremuit.

*Terræmotus.*

*Ex Virg. Æneid. 3.*

Vix ea fatus eram, tremere omnia viſa repente,
Liminaque, lauruſque Dei, totuſque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.
Submiſſi petimus terram, & vox fertur ad aures.

*Terroris effigies.*

*Ex Famiano lib. 1. proluſ. 5.*

Clypeo terrorem affixit prorumpentem ex umbone ſeſe, vomentemque ab ore, atque oculis flammas, ac mira arte in facies ſe alias, atque alias transferentem: nam modo gigantem vaſta corporis mole refert efflantem ignem naribus, ſtrictoque necem ferro minitantem, modo in ea clypei amplitudine tanquam latiſſimo in campo ſimul & equitum turmam, quam improviſo ex inſidiis prodeuntem præter expectationem horum, repræſentat: modo majus opus movens, ſpectriſque validioribus eludens ingentem claſſem, & oppleta navibus maria ſub oculos ponit.

*Tigris. Ex Solino cap. 24.*

Oſtia Oxi fluminis Hyrcani habent, ingentibus ſylvis aſpera, copioſa immanibus feris. itaque tigribus: quod beſtiarum genus inſignes maculis notæ, & pernicitas nobile reddiderunt: fulvo nitent, hoc fulvum, & nigrantibus ſegmentis internudatam varietatem apprime decet; pedum motum neſcio pernicitas, an velocitas magis adjuvet, nihil tam longum eſt, quod non brevi penetrent, nihil tam antecedens, quod non illico aſſequantur. At maxime potentia earum probatur cum maternis curis incitantur, cum catulorum inſiſtunt raptoribus: ſuccedant ſibi equites licet, & aſtu quantolibet amoliri prædam velint, niſi præſidio maria fuerint, fruſtra eſt auſum omne.

*Timor ingens.*

Convertite oculos in viros illos ultimum diſcrimen propediem ſubituros, quos horribilis adeo metus invaſit, animum fregit, diriſque ſolicitudinibus, & atra caligine mentem obruit ut in manus, vultum, ac univerſum corpus indubitati timoris, indicia emerſerint. Frons obducitur, ſupercilium contrahitur, oris candor, & genarum rubor extinguitur, omniſque vultus ſpecies lurido pallore deformatur, erecti inhorreſcunt crines, declivis recumbit cervix, demiſſa languent brachia, artus denique omnes iterato tremore quatiuntur.

*Timor. Ex Virg. Æneid. 3.*

Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

*Timor Ex Ovidio Met. 6.*

Quid mihi tunc animi miſeræ fuit? anne quod agnæ eſt
Signa lupos audit circum ſtabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latentum hoſtilia cernit
Ora canum, nullos audet dare corpore motus?
Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus,
Cæruleæque cadunt toto de corpore guttæ.

*Triſtitia ex cogitatione.*

Cum ancipiti quis pendet animo, mentemque dubiam varii obſervantium curarum turbines diſtrahunt, nihil eſt, quod afflictum, ac pene obrutum curis animum levet, nihil quod incubantem menti caliginem diſcutiat: nihil quod vehementis doloris acerbitatem leniat. Ingeminat identidem dolor, tenebroſus ingruit mœror, ſola inſtantis mali cogitatione ingraveſcente.

*Triumphus Alexandri. Ex Q. Curt. lib. 9.*

Æmulatus patris Liberi non gloriam ſolum, quam ex illis

gentibus deportaverat, ſed etiam famam, ſive ille triumphus fuit ab eo primum inſtitutus, ſive bacchantium luſus ſtatuit imitari, animo ſuper humanum faſtigium elato. Vicos, per quos iter erat, floribus, coroniſque ſterni jubet. Liminibus ædium crateres vino repletos, & alia eximiæ magnitudinis vaſa diſponit. Vehicula deinde conſtrata, ut plures capere milites poſſent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veſte pretioſa. Primi ibant amici, & cohors regia, variis redimita floribus, coroniſque: alibi tibicinum cantus, alibi lyræ ſonus audiebatur. Item in vehiculis pro copia cujuſque adornatis comeſſabundus exercitus, armis, quæ maxime decora erant, circumpendētibus. Ipſum, convivaſque currus vehebat crateris aureis, ejuſdemque materiæ ingentibus poculis prægravis. Hoc modo per dies ſeptem bacchabundum agmen inceſſit.

*Triumphus. Ex Oratore Gallo.*

O ſi mos ille vigeret adhuc, quo ſolemni pompa victores portabantur in urbem, quantus foret Imperatoris noſtri triumphus! quæ gentium acclamationes! quæ monumenta victoriarum! Iret ante currum depreſſo collo, ſubjectis cervicibus, ſubacto vultu condemnata rebellio, currum traherent ſimul vincti, & ſimul victi cum Rupellenſibus Angli, frontibus famulari jugo conjunctis: ſuccederent agmina vitiorum uno ſimul omnia dono devincta, cæſaque flagello virtutum. Hic tractus ſonanti compede livor ringeret, fremeret audacia ſine telo, incederet arrogantia ſine ſupercilio, morderet invidia ſine dente, debaccharetur impietas ſine voce, mœſta hæreſis ſine viribus agmen clauderet. Qui plauſus interea, quæ in te laudes à circumfuſis militibus conferrentur! Tu Ciſalpinus, tu Tranſalpinus, tu Aquitanicus, tu Britannicus, tu Gallia dignior, tu patre felicior, tu Henrico Magno maior Ludovicus feſtis vocibus diceretis. Splendidi præterea tituli, laureati lemniſci, ſublimes imagines præferrentur.

*Triumphus. Ex Virg. Æneid.* 8.

At Cæſar, triplici invectus Romana triumpho
Mænia, diis Italis votum immortale ſacrabat:
Maxima tercentum totam delubra per urbem
Lœtitia, ludiſque viæ, plauſuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæſi ſtravere juvenci.
Ipſe ſedens niveo candentis limine Phœbi
Dona recognoſcit populorum, aptatque ſuperbis
Poſtibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam veſtis, & armis.
Hic Nomadum genus, & diſcinctos Mulciber Afros;
Hic Lelegas, Caraſque, ſagittiferoſque Gelonos
Pinxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenuſque bicornis,
Indomitique Dacæ, & pontem indignatus Araxes.

*Truculentus, & ſeverus.*
*Ex Tullio tom.* 3. *pro Seſtio.*

Alter, o Dii boni, quam teter incedebat, quam truculentus, quam terribilis aſpectu! Unum aliquem ex barbaris illis exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicæ diceres intueri: veſtitus aſper noſtra hac purpura plebea, ac pene fuſca, capillo ita horrido, ut Capuæ, in qua ipſe cum imaginis formandæ cauſa Duumviratum gerebat, ſeplaſiam ſublaturus videretur.

# V

*Ubertas regionis.*

Quis noſtræ regionis ubertatem non videat? Nihil vel cœlo mollius, vel ſolo pinguius, vel fluviis lætius, vel aura clementius. Quis non demiretur prodigam rerum omnium, & frugibus amicam tellurem? Omnis ibi gleba frugifera, & ſemina ſi jeceris, neque illico ſtrangulantur, neque primo in germine ſiderata emoriuntur, aut denique adulta in herbarū luxuriem, inaneſque ſtipulas vires effundunt.

Cernes arbores nativæ felicitati impares, ramis frugum pōdere recurvatis, & quodammodo ingemiſcentibus de ubertate ſua queri; vel poma, nec tempeſtatum legibus addicta, nec menſiū viciſſitudini obnoxia quocunque anni tempore, quædā primulum in florem gemmaſcere, quædam deterſis floribus turgeſcere, acerbam crudelitatem coquere; alia denique plena maturitatis, adhuc pubeſcentibus aliis, conſeneſcere.

Vide *Regio opima.*

*Ver.*

Abeunte hyeme, compreſſis imbribus, diſcuſſis nubibus, diſſoluta nive, & glacie, videtur orbis gratiſſima recurrentis anni viciſſitudine reviviſcere, vel quaſi è ſordibus eripi, aut è veterno excitari; omnia enim naturæ redeunt ornamenta: Sol nitida facie, deterſaque caligine ſplendeſcit, aër puriori lumine demulcetur, flumina ſolito turgentiora exonerantur omnis tellus floret, herbas & frondes parturit, quibus prata gemmaſcunt, nemora veſtiuntur, & montium vertices coronantur. Hinc merito dixeris ver lætum, ac ridens, quaſi vere appetente, lætari, ac ridere omnia videantur. Vide *Anni partes.*

*Ver.*
*Ex Horatio lib.* 1. *Od.* 4.

Solvitur acris hyems grata vice veris, & Favoni,
Trahuntque ſiccas machinæ carinas;
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna;
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet, aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.

*Nos olim Elegiaco vertimus.*

Ver placidum terris bruma fugiente propinquat,
Fertur & in liquidum pulſa carina mare.
Nulla pecus ſtabulis tecto ſtat, nullus arator:
Caneſcunt rigido paſcua nulla gelu.
Candida cum primo viſa eſt dare Cynthia lumen,
Alternat faciles mox Cythterea pedes.
Dum gravis in Siculis fornacibus ignis anhelat,
Gratia feſtivos gaudet inire choros.
Nunc decet, aut viridi frontem circumdare myrto,
Aut vario nitidum cingere flore caput.

*Ver. Ex Virg.* 2. *Georg.*

Ver adeo frondi nemorum, ver utile ſylvis:
Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva ſinus; ſuperat tener omnibus humor,
Inque novos ſoles audent ſe gramina tuto
Credere, nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros.

*Ver. Ex Ovid.* 1. *Faſt.*

Omnia tunc florent, tunc eſt nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent
Ludit & in pratis, luxuriatque pecus.
Tunc blandi ſoles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celſa ſub trabe figit opus.

*Verboſus ignavus.*

Quanto quis ad loquendum promptior, tanto ad gerendum ſegnior reputatur, ita ut prudentiſſimi duces fortitudinis defectum verboſitatis incremento metiantur. Hinc Siccius Dentatus, apud Dionyſ. lib. 20. exprobrans quorundam ignaviam: *Totus* (inquit) *illorum ſplendor non in armis, ſed in verbis eſt poſitus.*

Et Turnus arguens ignaviæ Drancem apud *Virg. Æneid.* 11.
Larga quidem ſemper Drance eſt tibi copia fandi:
Tunc cum bella manus poſcunt &c.

T. Livius Dec. 3. *l.* 2. *quorum* (inquit) *Lingua prompta, ac temeraria eſt, haud æque ad pugnam vigent manus.* Quod expreſſit Curtius *lib.* 7. ſimilitudine canis vehementer latrantis, & non mordentis *Canis* (inquit) *timidus vehementius latrat, quam mordet.*

*Veritas ſine fuco.*
*Ex Anonymo.*

Quaſi cœli pudica ſoboles ſimplici ratione veritas ornatur: ipſa etiam incompta per ſeſe placet, nec calamiſtros adhiberi vult falsæ ſuſpicionis: nihil operis, aut commercii a vanitate neceſſe habet emendicare. Igitur pigmento non indiget, ſublimis incedit, candore, ac rubore nativo effloreſcit. Aſcititium minium, & ceruſſam reſpuit; eſt inornata, ſed quam ipſam decet, eſt incompta, ſed ipſa delectat incuria: habet enim quædam ſua ornamenta, ſed neſcio unde ex abdito eruta.

Progreditur ſola, & incomitata: imo etiam nec paxillo fulciri perjurii, nec delicatulis adulterati ſermonis aſſeclis ſuſtineri neceſſe eſt.

*Verſipellis Fur.*
*Ex Famiano lib.* 2. *proluſ.* 3.

Non ibo per ſingulas claſſes, ſive ſervi ſubdoli, vafri, verſipellis, ſcitioris, quam eſt plebiſcitum, verſutioris, quam eſt rota figularis, technas, ac dolos tacite ferentis, ac ſe artificē fraudis ſepiarum inſtar, atramenti effuſione occultantis, ingenio tanquam cultro utentis, quo hominum exenteret marſupia

marſupia: inſidias veluti Troianum equum fabricantis, quo non in arcem, ſed in arcam faciat impetum: furis, trifuris, crumenicidæ cum ſenis manibus genere Geryonacco, quem ſi Argus ſervet, qui oculus totus fuit, is nunquam ſervet.

*Vetula. Ex Famiano lib. 3. proluſ. 4.*

Hic vetulam coloribus expreſſerat in tabula edentulam, ac victam, annis, ac viribus defectiſſimam: dumque re abſoluta, uti fit, ad opus agnoſcendum redit, ridiculo illo aſpectu delectatus, dum aniculam contemplatur ſuffarcinatam, breviculam, aridam, exſuccam, exanguem, bucculentam, recedentibus oculis, pendentibus genis, extante deorſum mento, depreſſo introrſum ore, ſuperſtante naſo neque integro, neque ſicco: enim vero ſuborto aſtatim riſu, intercluſo ſpiritu, ridiculum ſane in modum ſerio extinctus eſt.

*Victor laudatur.*
*Ex Oratore Gallo.*

Triumphaſti, victor, de ingeniis hominum, qui cum ſe impares rebus tuis omnibus exornandis agnoſcant, in earum ſingulis partibus occupabuntur. Neque vero propterea ulla erit in iiſdem factis enarrandis ſimilitudo dictorum, ſed in una victoria omnes varie triumphabunt, quia tantum unus effeciſti, quantum univerſi laudare vix poſſint. Dicent alii pietatem illam ſpectabilem, qua exercitui prælucebas, alii fecilitatem ſcribent, qua toties vincebas, quoties in aciem prodibas: alii prudentiam in conſiliis celebrabunt, alii fortitudinem in factis extollent. Omnes poſtremo mirari poterunt ſe dixiſſe, quod aliorum nullus attulerit; pauciora tamen ab univerſis eſſe cōprehenſa, quam unus fecerit Ludovicus.

*Villæ Sinarum.*
*Ex Maffeio lib. 6.*

Diſperſæ in æſtivos maxime receſſus nobilium villæ opera imprimis eleganti, vel ad opacas amnium ripas garrulos avium concentus, & fugientis aquæ lene murmur excipiunt, vel è montium jugis, verticibuſque ſubjectos vallium anfractus, & vaſta maris, ac terrarum ſpatia longe, lateque deſpectant.

*Viridarium.*
*Ex Anonymo.*

Cernite amœniſſimum viridarium, cujus parietes multis malis medicis, & pomis citreis veſtiti nitent ad ſimilitudinem auri: cum totum pinulis circumdatum ſit, ex una ad alteram pinulam arcus effecti viſuntur, opera, & artificio mirabili: areæ ad dextram, & ſiniſtram ſingulari arte, & ſolertia conſitæ ſunt, violis, ac floribus diſtinctæ, & myrtetis ſtratæ, quæ accuratiſſime habent ſpeciem in ſimilitudinem tabulæ politiſſimæ. Areas vero ipſas cancellulis arundineis circumdatas ornant formæ, atque figuræ ſatyrorum, nympharum, equitum. Addite liquores fontium pellucidos, rivulos leniter defluentes, ac avicularum concentus jucundiſſimos; denique naturam ipſam jucundiſſima amœnitate geſtientem, & exhilarantē omnia.

*Virtus perſiſtens. Ex Oratore Gallo.*

At etiam eo negotio M. Catonis ſplendorem maculare voluerunt, ignari quid gravitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret: quæ in tempeſtate ſæva quieta eſt, & licet in tenebris, & pulsa loco, manet tamen, atque hæret in patria ſplendetque per ſe ſemper, neque alienis unquam ſordibus obſoleſcit.

*Virtus militaris.*
*Ex Oratore Gallo.*

Quis hoſtes conſtantius expectavit? quis fortius excepit? quis celerius occupavit? quis invaſit audacius? quis animoſius fudit? Mirabuntur exteræ nationes, ſtupebunt poſteri, religio triumphabit. Diſcent hæc miracula pueri, juvenes recitabunt, viri conabuntur imitari, ſenes narrare gaudebunt, ætas nulla commendare deſinet.

*Vitæ brevitas. Ex Anonymo.*

Incertum, & fragile nimium eſt hoc munus naturæ, quidquid datur nobis: pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœnæ, niſi contigit quies. Neque reputantur infantiæ anni, qui ſenſu carent, non ſenectæ in pœnam vivacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties renovata morte, ut nullum aliud frequentius ſit votum. Natura vero nihil hominibus brevitate vitæ præſtitit melius.

*Ex Juvenal. Sat. 9.*

— Feſtinat enim decurrere velox
Floſculus anguſtæ, miſeræque breviſſima vitæ
Portio: dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.

*Volatus.*
*Ex Sannazario lib. 2. de partu.*

Dixerat: ille altum, Zephyris per inane vocatis,
Carpit iter; ſcindit nebulas, atque aëra tranat,
Ima petens, pronuſque leves vix commovet alas:
Qualis ubi ex alto notis Mæandria ripis
Proſpexit vada, ſeu placidi ſtagna ampla Caiſtri,
Præcipitem ſeſe candenti corpore cygnus
Mittit agens, donec tandem potiatur amatis
Victor aquis; ſic ille auras, nubeſque ſecabat.

*Voluptas.* Vide *Deliciæ.*

*Urbis depopulatio.*
*Ex Famiano lib. 2. proluſ. 3.*

Diripiebatur Urbs Inſulæ caput, in quam regni opes, atque arma confluxerant, deliciarum ſedes, & quondam hoſpitium gratiarum, voluptaria, ac beata hominum natio, immani hoſtium truculentiſſimorum furore, ac rabie cædebatur, manabat per fora, ac vias cadaveribus oppletas interfectorum ſanguis: non ætati, non generi parcebatur: & quod commiſeratione dici nequit, aræ paſſim, ac templa, cœlitumque imagines indignis ſane modis polluebantur: matronæ, nobileſque puellæ, ac ſacræ Deo Virgines e gynæceis, ac penetralibus ad omnem barbarorum libidinem fœdiſſime rapiebantur: civium fortunæ, templorum ſupellex, captivorum corpora, ſacra, profanaque omnia, rapina, cæde, ludibrio diſtrahebantur. Vide. *Civitas expugnata.*

# X

*Xiphia piſcis.*
*Ex Maffeio lib. 7.*

Magnitudinis vaſtæ piſcis eſt in Africano Oceano, quem piſcem, a figura videlicet, acum appellant (Xiphiam ego fuiſſe crediderim) prælongo roſtro, & in mucronem deſinente, eodemque ita duro atque hiſpido, ut ferrum deterat inſtar limæ. Ex iis belluis una, dum ſubterfugientem prædam furibūda perſequitur, in adverſam onerariam plenis euntem velis toto impetu illata, in imas compages, pertuſo alveo, acutiſſimum caput infigit. Eo laqueo dum ſeſe per vim conatur excutere quamvis libratam ſuis ponderibus navem adeo quateſecit, ut ſe in Syrtes impactos nautæ non ſine horrore crediderint.

## FINIS LAUS DEO.

Museu e Laboratório Antropológico
Universidade de Coimbra
BIBLIOTECA